MASTER NEGATIVE NO.

91-80344-5

MICROFILMED 1991

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES/NEW YORK

as part of the
"Foundations of Western Civilization Preservation Project"

Funded by the
NATIONAL ENDOWMENT FOR THE HUMANITIES

Reproductions may not be made without permission from
Columbia University Library

COPYRIGHT STATEMENT

The copyright law of the United States -- Title 17, United States Code -- concerns the making of photocopies or other reproductions of copyrighted material...

Columbia University Library reserves the right to refuse to accept a copy order if, in its judgement, fulfillment of the order would involve violation of the copyright law.

AUTHOR:

KINDSCHER, FRANZ

TITLE:

QUAESTIONES CAESARIANAE

PLACE:

ZERBST

DATE:

1864

Master Negative #

91-80344-5

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

87016
EZ61

Kindscher, Franz,
...Quaestiones Caesarianae, vom oberlehrer Kindscher... Zerbst, Römer, 1864.
38 p. 27 cm.

At head of title: Einladungsschrift zu den öffentlichen schulprüfungen im Herzoglichen Franciscеum zu Zerbst...

49554

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 12 1/2
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 4-26-91 INITIALS BM
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT



Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202











MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

No. 3
87C16
EZ6

Einladungsschrift

zu den

öffentlichen Schulprüfungen

im

Herzoglichen Francisceum

zu

ZERBST

am 16. und 17. März 1864.

Inhalt:

1) *Quaestiones Caesarianae, vom Oberlehrer Kindscher.*
2) *Jahresbericht des Schulraths Dr. Sintenis.*

Zerbst 1864.
Gedruckt bei Römer & Sitzenstock.

Inhl. v. Cat

FRANCISCI KINDSCHERI

QVÆSTIONES CÆSARIANÆ

Recognituri sumus Gai Iulii Caesaris de bello civili commentarios ad eorum librorum fidem quos Franciscus quidem Oudendorpius ad Caesaris commentarios de bello Gallico 7, 5, 6 pag. 600. edit. Stutgard. 1822 ex optimo omnium exemplari propagatos esse censuit, Carolus Guilielmus Elberlingius praefationis Caes. comm. de b. G. 1827 pag. IV. et observationum criticarum ad Caes. comment. de bello civili 1828 pag. 8 ss. optimos praedicavit, Ioannes Nicolaus Maduigius excursu sexto ad Ciceronis de finibus bonorum et malorum libros 1839 pag. 849 eadem laude ornavit, Ioannes Kofod Whitteus praefat. Caes. comment. de b. G. edit. I. 1844 pag. VII. plenos bonarum scripturarum plurimis locis sibi sequendos sumpsit — alteram eiusdem viri doctissimi editionem ad nos nondum transmissam esse dolemus — sed quos libros interpolatos in recensendis de bello Gallico commentariis tum demum secutus est Carolus Nipperdeius quaestionum Caesarianarum 1847 pag. 48. cum ab eorum scriptura aberrari potuisse apparuerat ita ut in integris factum esse visum erat, quos tamen ne corruptius in dies opus pulcherrimum discipulis traderetur diligentissime omnibus locis consuluit Carolus Ernestus Christianus Schneiderus praefat. Caes. comm. de b. G. partis alterius 1855 pag. VI., haud paucis locis sequendos esse significavit Heinricus Justus Hellerus apud Leutschium virum nobilissimum Philologi vol. XIII. 1858 pag. 368 ss., vol. XVII. 1861 pag. 492 ss., vol. XIX. 1862 pag. 465 ss., nec D. Detlefsenus non docuit apud eundem Leutschium Philologi vol. XVII. 1861 pag. 649 ss. dicimus autem Parisinum secundum Leidensem primum Scaligeranum Cuiacianum Hauniensem primum Vindobonensem primum quorum quemque pari atque Carolus Nipperdeius (cf. comm. Caes. 1847 pag. 252) signo *a b c d e f* litteris inclinatis subinde notabimus.

Cum enim solo librorum foede corruptorum genere servati nobisque traditi sint siquis arte ac ratione commentarios de bello civili recognoscere volet, omissis deterioribus libris omnibus ei nitendum erit sex illis codicibus qui quantumvis ipsi quoque adulteratum permultis in locis testimonium adferre videantur, non tamen veram auctoris elegantissimi manum ostendunt tectam corruptelarum tam spissa caligine ut in integrum restitutio orationis depravatae plane desperanda sit. quodsi ad illa menda ex his commentariis tollenda suscipimus conatum quoniam diversa

prorsus arte ac ratione a doctissimis operum Caesarianorum editoribus et commentatoribus susceptum novimus, a repetenda codicum quibus hi tres de bello civili commentarii continentur, aestimatione proficisci debemus. nam factum esse nescius quo pacto acciderit J. N. G. Forchhammerus quaestionum criticarum de vera commentarios de bellis civili Alexandrino Africano Hispaniensi emendandi ratione 1852 pag. 11 exposuit ut ex eo qui supra indicatus a nobis est librorum meliorum numero senario quem quisque codicem cognoverat ipse optime, optimum esse iudicaret Oudendorpius Leidensem primum Elberlingius Hauniensem primum Nipperdeius Parisinum secundum. atque usus simili condicione Emanuel Hoffmannus Caes. comm. vol. II. 1857 praefationis pag. IV. cum Vindobonensem primum longe plurimis locis eadem suadere videret quae Nipperdeius ex Parisino potissimum libro receperat, non dubitavit suo ille libro etiam tum aliquid auctoritatis tribuere ubi discrepans a Parisino aut una cum aliis libris lectioni vulgatae faveret aut solus ea praeberet quae ex loci ratione postulari viderentur. attamen J. N. G. Forchhammerus pag. 30 et Fridericus Kranerus praefat. Caes. comment. edit. stereotyp. Tauchnitz. 1861 pag. XLI. s. cum ex *a b c e* quid in archetypo scriptum fuisset eruendum esse censerent ut iure meritoque statuerunt ubicumque consentirent Parisimus et Hauniensis quid in archetypo fuisset constare ita nimiam auctoritatem Leidensi et Scaligerano tribuisse videntur utroque testimonia Hauniensia confirmante augeri pondus Hauniense, Parisinum imminui arbitrati.

Ac primum quidem Parisini illius codicis praestantiam nemo est qui neget impugnari non posse quantumvis concedat plurimis locis eam iniuria temporum iniqua vel prava hominum industria foedatam ac laesam esse magis quam ferrum rubigine corroditur. quorum locorum omnium enumerationi cum supersedere audemus ex eis saltem aliquot delibemus ut appareat quaenam ratio intercedat inter scripturas varii generis quarum unae ut Terenti fabulae videbantur erunt spectandae alterae exigendae.

Itaque 1, 1, 1 *a* habet „Litteris a Fabio cum Caesaris consulibus redditis“ dum servant *b* „Litteris a Fabio Caesare consulibus redditis,“ *e* „Litteris a Fabio C. Cesaris consulibus redditis,“ *f* „Litteris a Fabio C. Caesare consulibus redditis.“ in his verbis non nulla adulterata esse nemo non videt. nam Fabii litteras sive solas sive Caesarianis coniunctas nullas, Fabios Caesares vel Fabios Gaios Caesares nullos fuisse, non Fabium quendam sive Caesaris legatum sive alium quem sed C. Scribonium Curionem tribunum plebis (cf. Guil. Drumanni histor. Roman. 3 pag. 404) litteras Caesaris Romam pertulisse consulibusque *ἐσιοῦσιν ἐς τὸ βουλευτήριον* teste Appiano bell. civ. 2, 32 vel *ἐς τὸ συνέδριον*

ἀφικομένοις teste Cassio Dione 41, 1 reddidisse, neque ipsum Caesarem auctorem elegantissimum si litteras a se missas a Fabio quodam latas denotari voluisset tam insolenti verborum collocatione quam *e* proferat usurum fuisse nec potuisse necesse habere ut obscuri ullius tabellarii nomen memoriae hominum vel *ἱστοριχωτάτων* proderetur quis est qui nesciat? quam ob rem aut durius ex Scaligeri praecepto cum Nipperdeio Queckio 1853 Doberenzio 1854. 1863. Kranero ed. I. 1856, ed. II. 1860, ed. ster. Tauchn. 1861 Oehlero 1860. „Litteris Caesaris consulibus redditis“ vel cum Francisco Dübnero 1858. „Litteris Caii Caesaris consulibus redditis“ aut lenius cum Oudendorpio Heldio 1827. 1856. Eicherto 1861. „Litteris a Gaio Caesare consulibus redditis“ legi solet id quod nobis quidem conferentibus praeter horum commentariorum inscriptiones *e* „C. cesaris belli ciuilis incipit liber II.⁹“ „C. cesaris belli ciuilis liber. II.⁹ explicit. Incipit III.⁹“ ipsos commentarios de b. c. 3, 33, 1. „litterae ei redduntur a Pompeio“ Cicer. ad Attic. 7, 9, 1. „unas video mihi a te non esse redditas“ 9, 16, 1. „Ab eo mihi litterae redditae sunt“ ad famil. 14, 23. „Redditae mihi tandem sunt a Caesare litterae satis liberales“ magis placet cum suspicemur illa quae codicibus teneantur verba inde potuisse facillime originem ducere. potuit certe ab aliquo qui primus opinabatur narrari non ab ipso Caesare Romam allatas esse litteras sed ab alio quo homine, illud depravari in „Litteris a tabio Caesaris consulibus redditis“ lineola super tab litteras superducta ut tabellarii vox compendio indicaretur, gliscente tum iniuria a ceteris librariis in reliqua „Litteris a Fabio C. cesaris consulibus redditis“ „Litteris a Fabio cum caesaris consulibus redditis“ „Litteris a Fabio C. Caesare consulibus redditis“ „Litteris a Fabio Caesare consulibus redditis“, denique a librariis infimae notae in haec „Litteris C. Caesaris a Fabio consulibus redditis.“ Totam igitur depravationis seriem quin ex primaria quadam scriptura „Litteris ab eo consulibus redditis“ repetere non liceat quam E. Hoffmannus p. XXXVII. excogitavit initio horum commentariorum non nulla excidisse ratus non dubitandum esse censemus. is enim recte quidem statuit Caesarem si res octavo et nono proconsulatus anno in Gallia gestas commentariis exponere per fata ei licuisset, sub finem novissimi libri ea omnia narraturum fuisse quae interim Romae acta essent antequam Lucius Cornelius Lentulus Crus et Gaius Claudius Marcellus consulatu inito Kalendis Ianuariis primum senatum haberent in eoque negarent se relaturos esse de litteris illis Caesaris ab Antonio in contione recitatis (teste Plutarcho Caes. 30), sed id ipsum quod Caesar duos illos commentarios non scripsit librosque de bello civili quippe qui causam suam probarent et firmarent haud dubie in lucem editurus erat antequam rerum Gallicarum commentarios ad finem perduxisset, suadere

ut putemus Caesari tantum certe initio commentariorum de bello civili praemonendum fuisse de rerum urbanarum statu quantum necesse esset ut litterarum a Curione consulibus traditarum et causa et argumentum patefieret perperam arbitratus cum persuasum sibi habeat primum de bello civili librum *ἀκέφαλον* esse praemissamque fuisse enuntiationem nomen Caesaris continentem quod pronomine „is“ iam demonstretur, praeter cetera oblitus est id respicere quod auctor epistolae ad Balbum octavo de bello Gallico libro praefixae testatur non cohaesisse superiores et insequentes Caesaris commentarios. quod testimonium si verum est de qua re dubitare omnibus rationibus vetamur, abrupto quodam modo operis de bello civili exordio haudquaquam offendimur praesertim cum non solum ex ipso commentario de b. c. 1, 5, 5. Caesarem satis habuisse indicari expectasse se suis lenissimis postulatis responsa neque eum voluisse plus referri de argumento litterarum eluceat sed etiam ea quae apud Hirtium supersunt Caesarem causam civilis dissensionis non exposuisse perspicue doceant quippe quibus narratio controversiarum usque ad ea ipsa quae hodie ineunte commentario primo de bello civili leguntur perducta sit. namque nihil fere apud Hirtium loco lacunae desiderari posse videtur nisi tradere scriptorem missas esse ante diem quartum Kalendas Januarias Romam a Caesare Ravennae tum commorante ipsas illas litteras quas Curio consulibus in senatum ingressis in curia ipsa redderet vel siquis Mori supplemento uti malit, contendisse Caesarem per litteras a senatu ut etiam Pompeius se imperio abdicaret seque idem facturum promisisse, sin minus se neque sibi neque patriae defuturum (cf. Caes. comm. ed. Dübner pag. 359). quae cum ita sint nobis quidem persuasum habemus extremo Auli Hirti commentario non nulla eius modi excidisse, Caesaris commentarios de bello civili *ἀκεφάλους* non esse neque illud Hoffmanni „Litteris ab eo consulibus redditis“ in seriem verborum recipi posse. Herzogium non moramur a. 1834. opinatum legendum vel „C. Caesaris ab alio“ vel „a Fabio legato Caesaris“ vel „a legato Caesaris“ vel fortasse acquiescendum esse in Oudendorpi Mori Oberlini Heldi aliorum lectione.

Tum Parisinus cum ceteris omnibus servavit „Referunt consules de republica in civitate. Lucius Lentulus consul“ et quae secuntur. in quibus verbis cum haud dubium sit quin pessime se habeat illud „in civitate,“ alii quidem viri eruditi ut Faernus Ursinus Gruterus Nipperdeius Scaligerum secuti uncis incluserunt atque exulare iusserunt alii ut Vossius explicare atque ut Ciacconius Jurinius Oudendorpius emendare frustra temptarunt. Nobis vero reputantibus vetitos esse eos qui in senatu fuerunt ex litteris Caesaris ad senatum referre neque ideo aliter licuisse etiam consulibus de singulis rebus ad quas omnium animi tum conversi erant referre

nisi cum ea re coniungerent consuetam de summa rerum relationem Lucius Lentulus consul coniunctim cum illa de rebus humanis id est de provinciis relatione quam consules cum magistratum iniissent instituere solebant narrari visus est quid ipse consilii cepisset quid patres conscriptos sequi vellet quae sua de his rebus sententia esset indicasse praesertim cum consules quamvis multum interesset quo modo referretur, sive de re publica sive de Caesaris litteris rettulerunt de eadem fere re acturi essent id quod praeclare explicatur Friderici Hofmanni libro bonae frugis pleno de origine belli civilis Caesariani commentario 1857 pag. 111 ss. suspectas enim illas voces „in civitate“ ex una quae est „coniunctim“ natas atque eam ad insequentem enuntiationem adiungendam esse censemus ut Lucius Lentulus consul dicatur non solum de re publica infinite (cf. Gell. noct. Attic. 14, 7, 9) rettulisse sed etiam admiscens artificio quodam oratorio illi de summa re publica relationi ea quae sibi viderentur de opibus gratia amicitia Caesaris et adversariorum partibus auxiliis periculis exponenda coniunctimque cum infinita illa enarratione referens oratione sua simul de provinciis et de Caesare promisisse senatu reique publicae se non defuturum si Caesari patres refragarentur. quapropter haud scio an exarandum sit: „Referunt consules de re publica. Coniunctim Lucius Lentulus consul senatu reique publicae se non defuturum pollicetur si audacter ac fortiter sententiam dicere velint: sin Caesarem respiciant atque eius gratiam sequantur ut superioribus fecerint temporibus se sibi consilium capturum neque senatus auctoritati obtemperaturum: habere se quoque ad Caesaris gratiam atque amicitiam receptum.“ Cf. Cicer. ad famil. 8, 8, 5 „uti L. Paullus C. Marcellus coss. cum magistratum inissent, o. d. ex Kal. Mart. quae in suo magistratu futurae essent de consularibus provinciis ad senatum referrent neve quid prius ex Kal. Mart. ad senatum referrent neve quid coniunctim.“ 8, 9, 5. „Scipio hanc sententiam dixit ut Kalendis Martiis de provinciis Galliis neu quid coniunctim referretur.“ Ausgewählte briefe von Cicero, herausgegeben von Friedrich Hofmann. 1. Bändch. 1860, p. 128. Nam quamquam ei qui in senatu fuerant uti de provinciis ex lege a consulibus ad senatum separatim referretur censuerant cautumque erat senati consulto nequid consules coniunctim referrent, ipso Caesare teste tamen de eis rebus in quibus summa dissensionis erat sermo est iniectus dictaeque sunt sententiae quae alteram rem tangebant cum priore artissime coniunctam. postulaverat autem istis Caesar litteris „ut omnes ab exercitibus discederent“ (cf. de b. c. 1, 9, 5) et liberam rem publicam senatu populoque Romano permitterent pollicitus se si Pompeius his conditionibus acceptis exercitum dimisisset statim a magistratu discessurum (cf. Cass. Dion. 41, 1) provinciasque traditurum et facile passurum absentis sui rationem non

haberi, si vero ille qui sine suo periculo posset de suis commodis saluti quicquam concedere recusaret certum sibi esse ac destinatum (cf. Hofmanni de orig. b. c. comm. pag. 111 med.) ius suum optimum persequi neque suas amicorumque fortunas fidei hominum inimicissimorum committere. atque reiecta sola disceptatione habenda esset proximis comitiis ratio Caesaris absentis necne Kalendis illis Ianuariis senatus auctoritas facta est: „dimitteret ante certam diem exercitum," si non faceret senatum existimare eum contra rem publicam facturum. rebus ita comparatis videndum est ne Caesar significare voluerit uno verbo id quod insequenti narratione uberius pertractavit Lucium Lentulum consulem hominem ferocissimum illud senatus consultum nequid coniunctim referretur excessisse quidque in re trepida patribus sequendum esset docuisse sententia de Caesaris litteris cum infinita relatione sua coniunctim exposita.

Quae supra adscripsimus verba 1, 1, 3 „habere se quoque ad Caesaris gratiam atque amicitiam receptum" ea sic leguntur in omnibus codicibus praeterquam quod *a* pro „receptum" male habet „recepturum" neque illa nobis videntur aliter a Caesare profecta esse. sunt tamen qui secus statuant. atque Theodorus Mommsenus et Fridericus Kranerus genetivum qui est „Caesaris" uncinis quadratis includi iusserunt negantes fieri potuisse ut Lentulus postquam pronuntiaverit si patres Caesarem respicerent atque eius gratiam sequerentur se separatim a reliquis senatoribus consilium capturum nec senatus auctoritati obtemperaturum, ipse diceret sibi quoque ad Caesaris gratiam et amicitiam refugiendi potestatem factam esse quod si in animo habuisset nihil opus fuisse nisi ut cum ceteris illis senatoribus ad Caesaris partes transiret. „unmöglich kann er sich, Kranerus inquit edit. prioris pag. 57, nach der Erklärung, er werde, wenn der Senat sich an Cäsar anschlösse, nicht gehorchen, zu Cäsar wenden wollen. Dann brauchte er ja eben nur mit dem Senate zu gehen" similiterque edit. alterius pag. 59: „Unmöglich kann er nach der Erklärung, er werde, wenn der Senat sich an Cäsar anschlösse, nicht gehorchen, erklären, dass auch er die Möglichkeit habe, sich zu Cäsar zu wenden." immo doctissimi illi viri arbitrati sunt Caesarem narrare Lentulum minatum esse illi senatores si Caesaris gratiam sequerentur se quoque secuturum aliquam gratiam atque amicitiam sed Pompei non Caesaris. etenim Kranerus edit. alt. pag. 59 „auch er habe, inquit, wenn sie Cäsar's Gunst folgten, die Möglichkeit, sich zu Gunst und Freundschaft zurückzuziehen. Er meint natürlich den Pompeius, und droht, dass er, wenn der Senat bei seiner servilen Hingebung an Cäsar beharre, die Beschlüsse desselben nicht mehr beachten, sondern mit seinen mächtigen Freunden die weiteren Massregeln ergreifen werde." at ad eandem

sententiam etiamsi codicum consensus non obstaret iure suo docet J. P. Endlerus professor Norimbergensis in quaestionum Caesarianarum specimine 1859 pag. 5. se persuadere sibi non posse ut accedat. „Hortatur, inquit, consul senatores, ne, ut superioribus fecerint temporibus, Caesarem respiciant eiusque potius gratiam sequantur, quam ut sine ullo hominis respectu solam reipublicae salutem spectent; quod si facit, addere non potest, si illi non obtemperent, se idem esse facturum et ad Pompei gratiam atque amicitiam se recepturum. Praeterea accusativi gratiam atque amicitiam genetivo adjecto vix posse carere mihi videntur." quae quamquam rectissime Endlerus disputavit, tamen eum locum convellere ac labefactare praetermisit in quo cardo rei positus est. erraverunt enim viri illi eruditissimi verba Caesaris hic interpolata esse suspicati eo quod opinati sunt Lentulum secundum codicum testimonia narrari dixisse siquidem senatores Caesaris partes sequerentur se quoque ad Caesaris gratiam atque amicitiam posse se recipere et re vera accessurum esse. totum hunc locum illi male interpretati sunt atque a falsa explicatione ad emendandum transgressi. eius vero condicionis quam cum alii tum Drumannus 3 pag. 405 sibi visus est invenisse atque is suo errore obcaecatus („auszerordentliche Maszregeln auszuführen, inquit, erklärte sich Lentulus bereit, wenn man einen kühnen und männlichen Entschluss fasse; wenn man dagegen wieder aus Furcht vor Caesar zurückhalte oder aus Gunst ihn schone, so werde auch er sich mit ihm zu einigen wissen") earumque minarum ac pollicitationum nihil Caesar narravit sed exposuit Lentulum demonstrasse hac tempestate qua res ita comparatae essent ut senatores infestis inter se animis aut ad Caesaris aut ad Pompei gratiam atque amicitiam adgregarentur sibi quoque ut ceteris omnibus et fuisse et esse potestatem ad Caesarem accedendi atque transeundi quem tamen ne sequerentur illos adhortatus esset. noluisse autem putandus est Lentulus docere suum ad Caesaris gratiam atque amicitiam receptum ex ancipiti illorum arbitrio dependere. haud dubie ferox ille consul significavit ut alii ad opes Caesaris se recipere potuissent possentque ita se quoque ad easdem receptum habere atque concessit ut aliis omnibus ita sibi quoque aditum ad Caesarem patuisse patereque. inde ab ea rerum existimatione ad pollicitationes minasque suas progressus se senatu reique publicae non defuturum si audacter ac fortiter sententias dicere vellent ostendit, sin Caesarem respicerent atque eius gratiam sequerentur ut superioribus fecissent temporibus se sibi consilium capturum neque senatus auctoritati obtemperaturum. videri ille voluit ut res erat iam tum a partibus Pompei forti firmoque animo stare, noluit quemquam existimare sibi in futurum demum ad Pompeium esse transeundum. de transitu ad Caesarem deque reconciliatione gratiae Caesarianae iste ne cogitavit quidem nedum verbis

tale quid expresserit. hinc est ut locum nostrum ad arbitrium Drumanni Mommseni Kraneri explanandum mutandumve esse negemus. Nec melius placuerunt ea quae Hellerus Philologi volumine XI. pag. 783, vol. XIII. pag. 379, vol. XIX. pag. 513 s. de hoc loco protulit in publicum. is enim legendum esse „habere se quoque ad Caesaris gratiam atque amicitiam respectum“ ratus „haec referenda sunt, inquit, ad illa antecedentia: sin Caesarem respiciant atque eius gratiam sequantur. Et significare putandus est Lentulus — quamquam ne hoc quidem sine simulatione — se quoque, ut illos, Caesarem respicere eiusque et gratiae et amicitiae rationem habere: sed tamen reipublicae se plus tribuere quam illi: ob eamque rem se sibi consilium esse capturum neque eorum auctoritati obtemperaturum, qui unice Caesaris gratiam sequentes rempublicam deserere viderentur.“ „es ist schlechterdings unmöglich, dass ein consul des römischen volks — selbst nach der darstellung eines feindes — mit dem des höchsten amts unwürdigen ausdruck habere se quoque — receptum erklärt haben sollte, dass er sich hinter andre zurückziehe, besonders wenn er vorher gesagt hat si audacter ac fortiter sententias dicere velint; er würde ausserdem denen, qui Caesaris gratiam sequebantur, durch diese erklärung und seine in aussicht gestellte handlungsweise ein vollkommenes recht zu ihrem eigenen verfahren zugestanden haben; es ist ferner ganz unmöglich, quoque zu halten in den worten habere se quoque receptum, ohne dass vorher receptum habere auch mit beziehung auf die gegenpartei gesagt worden ist; denn was vorhergeht, respiciant und eius gratiam sequantur, sagt etwas ganz anderes ..... da Caesarem respiciant erfordert, dass gratia Caesaris (womit auch die bedeutung von sequi stimmt) im verhältniss des objectiven genitivs gesagt sein muss, so folgt daraus mit nothwendigkeit, dass auch im folgenden der hinzugesetzte (oder hinzugedachte) genitiv zu gratia und amicitia nicht anders, als im objectiven verhältniss stehen kann. Ich will daher meine erklärung (natürlich mit meiner besserung) geben: „wenn sie aber auf Cäsar rücksicht nehmen und sich von ihrem guten einvernehmen mit ihm bestimmen liessen — so werde er einen entschluss für sich fassen und dem gutachten des senats nicht folge leisten: auch er nehme (— trotz dessen, was er zum wohl des staats beantrage —) rücksicht auf sein gutes einvernehmen und seine freundschaft mit Cäsar.“ Durch nichts als diesen ausdruck konnte Cäsar — nach seiner ansicht — die falschheit und verstellung seiner feinde besser bezeichnen. Und was ist in jener zeit häufiger, — man sehe Cicero's briefe an unzählichen stellen und b. c. I., 8, 4 — als diese diplomatische versicherung von gratia und amicitia zwischen feinden?“ at eam opinionem parum aptam et a nostro loco alienissimam sobrie iudicans Endlerus loco laudato rectissime „Ut enim omittam,

inquit, nomen substantivum respectum nusquam apud Caesarem legi, Lentulus non sine maxima simulatione dicere potuit, se quoque Caesarem respicere eiusque et gratiae et amicitiae rationem habere, quae dicenti nescio an omnium, qui aderant, nemo fuerit crediturus. Quod autem Helleri emendationem maxime refellit, qui fieri potuit, ut consul, quum id ipsum a senatoribus postularet, ne (non „ne unice“ quod addit Hellerus) Caesarem respicerent, se quoque Caesaris respectum habere diceret?“ namque primum Lentulus nihil consule Romano indignum nihil turpe docuit cum condicionem civium communem bonorum omnium esse demonstravit omnes receptum habere ad Caesarem ut sibi cum eo gratia atque amicitia foret quoniam rem veram neque ulli civi tristem declaravit. erravit autem Hellerus eo quod Lentulum fecit simulantem se iamiamque se recipere ad Caesarem quam rem supra in refellendo Kranero tetigimus. nihil iste inimicitias suas dissimulavit atque quicquid sentiebat palam professus est. tum ne ullum quidem ius proiciendi ac prodendi Pompei Lentulus aut sibi sumpsit aut reliquis tribuit. denique id quod Lentulus se quoque ad Caesarem se recipere posse adfirmavit haud dubie intellegendum est ut scienter vir doctissimus odoratur ita ut ea enuntiatione significetur etiam ceteris viris qui in senatu essent aditum ad adversarios patere si vellent ea occasione uti, nec tamen ea res quidquam momenti adfert ad controversiam quae agitur dirimendam utrum „respectum“ scribendum an „receptum“ servandum sit. nam Lentulus cum omnes receptum habere ad Caesaris gratiam atque amicitiam concessit eos qui illa potestate usi de causa Caesaris et Pompei diiudicarent Caesarem respicerent eius gratiam sequerentur clamavit adversus rem publicam facere vetuitque alios omnes eo receptu uti quomodo ipse Caesaris gratiam atque amicitiam respueret. quae cum ita sint nihil interest intellegas genetivum casum qui est Caesaris obiectivo sensu necne. itaque locum nostrum sanum neque quidquam si scriptoris verba recte intellegantur eiciendum mutandumve esse cum Endlero putamus. atque is optime „Lentulus, inquit, hortatur senatores, ut audacter ac fortiter sententias dicant; sin Caesarem respiciant etc., se sibi consilium capturum neque senatus auctoritati obtemperaturum i. e. per se rempublicam nullius ratione habita, soli civitatis saluti consulentem administraturum. Sequentia verba habere se quoque ad Caesaris gratiam atque amicitiam receptum non indicant, quid sit facturus Lentulus, ut vult Kranerus, nam id docent verba se — obtemperaturum; sed addidit consul, quid posset facere, si vellet; (auch er hätte, wie sie, die Möglichkeit, nehmlich wenn er davon Gebrauch machen wollte) quibus verbis respondet iis, qui forte dixerint, postulare Lentulum, ne senatores Caesaris gratiam sequantur, quod ipsi nulla facultas sit se recipiendi etc. Hoc dicere voluisse Caesarem ipsa verborum

collocatio satis docet: habere se quoque receptum, quibus verbis opposita sunt illa, quae e contextu facile supplentur: sed uti eo nolle, quod idem ut et ipsi nolint, consul hortatur senatores. Lentulo autem fuisse eam facultatem, etsi nunquam neque usus ea sit, neque uti voluerit, nemo negabit. Inter civiles enim dissensiones facilis est ab altera parte ad alteram transitus, et nobilissimus quisque ac potentissimus ab hoste libentissime excipitur, id quod Labieni aliorumque exempla docent.“

Praeclare Hofmannus de orig. b. c. pag. 113, 5 cum Victorio 1, 2, 1 „Pompeiusque aberat“ scribendum esse docuit.

Optime Nipperdeius 1, 2, 3 „timere Caesarem ereptis ab eo duabus legionibus“ et scripsit et defendit quaest. Caesar. pag. 126. pro hac „ereptis“ voce cum plurimi codices „correptis“, Leidensis secundus „abreptis“ habeant veri dissimile est ob nimiam in ductu litterarum discrepantiam Oehlerianum illud „surreptis“ iam ab Oudendorpio commendatum ac displicet quod quae furtim fraude dolo Caesari ereptae erant eae non clam sed in publico palamque traditae sunt Pompeio.

Iam transeundum est ad 1, 2, 8 ubi Caesar postquam relatum esse confestim de intercessione Marci Antoni Quinti Cassi tribunorum plebis narravit: „Dicuntur, inquit, sententiae graves: ut quisque acerbissime crudelissimeque dixit, ita quam maxime ab inimicis Caesaris conlaudatur.“ in his illud „quam“ quod omnes codices editores interpretes una cum *a* servant nobis quidem delendum esse videtur. errasse enim haud dubie putandus est Herzogius eo quod docet: „Durch das hier zu maxime gesetzte quam erhält theils maxime noch mehr Intensivität, theils sollte diess vielleicht in nähere Beziehung mit dem Verbo gesetzt, und nicht etwa aus Missverstand zu ab inimicis bezogen werden.“ nam tantum abest ut illud „quam“ eius rei quae adfirmatur quo quis acerbius crudeliusque dixisset eo magis ab inimicis Caesaris collaudatum esse vim augeat et corroboret, ut potius eam infringat et inminuat quippe quod faciat Caesarem tradentem ab inimicis suis non ad summum usque ferociae gradum quo ut ascenderetur fieri per se potuerit quique maximae illorum acerbitati crudelitatique responderit sed ad nutantem normam fluctuantemque finem quem siquis peteret atque consequeretur ex maiore vel minore animorum perturbatione atque irritatione et precario arbitrio pependerit acerbissimum crudelissimumque quemque oratorem conlaudatum esse. debetur autem illud „quam“ eisdem librariis *a b c c* qui in comm. de b. Gall. 8, 42, 4 exaraverant „ita quam quisque poterat maxime insignis quo notior testatiorque virtus esset eius, telis hostium flammaeque se offerebat“ non Caesari ipsi qui de b. Gall. 6, 15, 2 scripsit „atque eorum ut quisque est genere copiisque amplissimus ita plurimos circum se

ambactos clientesque habet.“ igitur cum ut quisque acerbissime crudelissimeque dixerat ita maximo plausu gratulatio ei a ceteris Pompei amicis significaretur quae Hofmanni quoque de orig. belli civ. pag. 115 esse videtur sententia scribendum est: „Dicuntur sententiae graves: ut quisque acerbissime crudelissimeque dixit, ita maxime ab inimicis Caesaris conlaudatur.“

Nec minus perspicuum omnibus est corruptam esse verborum seriem cum reliquis codicibus tum *a* sic servatam 1, 3, 3 „Completur urbs et ius comitium tr. pl. centurio evocat.“ ex eis integrae narrationis ruinis quod Oudendorpius sibi visus est non procul a vero refingere posse „Completur urbs et eius Comitium tribunis mil. Centurionibus, evocatis“ partim ea quae Lipsius fecerat emendandi pericula partim editionem Venetam anni 1494. secutus vel omissa illa vocula „mil.“ pro „pl.“ quam censuit addi potuisse a librario credente de tribunis plebis agi „Completur urbs et eius Comitium tribunis Centurionibus, evocatis“ id nobis quidem probari non potest. „Nam, ut Nipperdei verbis utamur quaest. Caes. pag. 126, aut comitium in urbe fuisse inepte demonstraretur, aut urbis comitium ab altero discerneretur, quod nullum erat. Neque omnino recte urbs euocatis et duarum legionum tribunis atque centurionibus compleri dicitur, quorum hominum non magnus numerus erat.“ denique id nobis dubitationem movit quod satis scimus numquam fere centurionum evocatorumque nomina eiusmodi compendio terminationibus carente scribi solere cui fundamento Oudendorpius emendationem suam superstruere conatus est. tantopere enim correctio a reliquiis litterarum differt ut facere non possimus quin tria extrema verba ita ut supra diximus cum viro doctissimo exarare dubitemus. quam ob rem aeque prohibemur quominus cum Nipperdeio haec ita scribenda esse arbitremur: „completur urbs militibus, comitium tribunis, centurionibus, euocatis“ quae ne accipiamus praeterea cavemus quod cum Kranero ed. pr. pag. 284 ed. alt. pag. 291 statuimus parum apte narrari milites aliis in viis locisque publicis constitisse ac tribunos militum, centuriones, evocatos, hos ut honestiores eam partem fori occupasse quae curiae proxima esset, illorum turbam inconditam a numero tribunorum centurionum evocatorum data opera se segregasse. Nec magis placuit A. Hugii illud (Philologi vol. XI. pag. 671. Annalium philologorum et paedagogicorum Teubnerianorum 1862 vol. 85 pag. 208): „Completur urbs et ipsum comitium tribunis centurionibus evocatis“ et Hellerianum (Philol. vol. XIX. fasc. 3 pag. 514): „Es geben I, 3, 3 die codd.: completur urbs et ius comitium; die folgenden Worte hat Oudendorp richtig verbessert tribunis, centurionibus, evocatis. Ich glaube, dass, auch schon wegen des singulars completur, die rede asyndetisch und, wie im folgenden, dreitheilig gewesen ist, und dass

zwischen urbs und et einige buchstaben ausgefallen sind, woraus schliesslich et erst entstanden ist; wahrscheinlich stand daher hier urbs, c. martius, comitium, d. h. campus Martius: die buchstaben c. ma (oder mar) wurden, wie es mit vielen silben dieser anfangskapitel der fall gewesen sein muss, unleserlich: es blieb rt ius (oder c. tius) übrig, das dann als et ius weiter abgeschrieben wurde.“ neutrum placuit quod violenta Oudendorpi correctio in qua utrumque nititur longissime recessit a vestigiis sincerae narrationis codicum manu scriptorum fide servatis quae tripertitam orationem fuisse minime probant. Nobis vero circumspicientibus medelam huic loco corrupto adhibendam cum nihil haustum ex vano velimus quo nimis inclinant ferme scribentium animi ut est apud Livium, ante omnia videbatur reputandum esse non tam totam urbem Romanam quam forum comitiumque hominibus completum fuisse hoc maxime loco a Caesare narrari. quid enim? nonne veri iam simillimum est in forum et ad curiam ut assolebat cum ingenti strepitu ac tumultu concursum populi esse factum, versam in comitium curiamque civium turbam frequentis contionis modo magistratus suos vocasse ut iudicarent quo statu res essent quid spei reliquom esset quid fieri vellent, omnes Pompeianos in senatum eo die coactos esse cuius rei testis ipse Caesar est, ab aliis civibus tribunos plebis cum in curiam compellerentur properarentve incitatos esse ut in suo iure exequendo perseverarent et in sententia sua perstarent, ab aliis publici consilii moderatoribus hominibusque turbulentissimis eosdem convitiis correptos minisque exagitatos esse? quid igitur? eane possunt emendationis fundamenta iaci? videbantur hac enuntiatione ea quae memorabili illo nonarum Ianuariarum die media in urbe Romana gesta essent enarrari quo die duos dies comitiales secuto per quos senatus non habebatur (de b. c. 1, 5, 4) vetamur ob maxima vel maiora locorum intervalla statuere Pompeium iam multos quo spe et promissis teneret ex Apulia (de b. civ. 1, 14, 3) aliisque Italiae agris arcessivisse praesentique exercitu suo (de b. civ. 1, 2, 6) quem in regione suburbana habebat (Cassi Dionis 41, 2 *ἐν γὰρ τῷ προαστείῳ τὰς δυνάμεις εἶχε*) adiunxisse. satis autem civium iam ipsa urbs Romana eo die habuisse videtur quorum turba forum comitiumque compleretur. militibus Pompeianis ad id ipsum non opus erat nec deest disertum Appiani de bellis civilibus 2, 33 ratumque testimonium illo demum die quo Antonius Curio Cassius furibundi se ex senatu proruperunt ut nocte proxima ad Caesarem contenderent id est ante diem octavum idus Ianuarias Pompeium exercitu suo ipsam curiam circumsaeptam tenuisse: *συνεξέθεον δ' αὐτῷ Κουρίων τε καὶ Κάσσιος. καὶ γάρ τις ἤδη στρατὸς ἐωρᾶτο ἐκ Πομπηίου περιστάμενος τὸ βουλευτήριον.* iam computemus temporum rationem. Kalendis illis Ianuariis fatalibus consulatum inierant Lucius Lentulus et Gaius

Marcellus. de provinciis rettulerant nec litteras Caesaris ille non tetigerat. ut in Quinti Caecili Metelli Pii Scipionis sententiam senatus consultum fieret assentientibus omnibus praeter Marcum Coelium et Gaium Curionem impetraverant. cf. Caes. de b. c. 1, 2, 6. 7. „Scipionis sententiam secuntur: uti ante certam diem Caesar exercitum dimittat; si non faciat eum adversus rem publicam facturum videri.“ Cassi Dionis 41, 2 *τὸν μὲν Πομπήιον οὐδεὶς ἀπαλλαγῆναι ἐκ τῶν ὅπλων ἐψηφίσατο ..... τὸν δὲ δὴ Καίσαρα πάντες πλὴν Μάρκου τέ τινος Κοιλίου καὶ τοῦ Κουρίωνος τοῦ τὰ γράμματα αὐτοῦ κομίσαντος.* intercesserant Marcus Antonius et Quintus Cassius tribuni plebis. relatum erat confestim postero die de intercessione tribunorum. Cassius enim Dio 41, 2 narrare pergit: *ἔδοξε μὲν οὖν ταῦτα. οὐ μὴν καὶ κυρωθῆναί τι αὐτῶν, οὔτε ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ οὔτε ἐν τῇ ὑστεραίᾳ ὅ τε Ἀντώνιος καὶ ὁ Λογγῖνος ἐπέτρεψαν.* misso ad vesperum ante diem quartum nonas Ianuarias senatu omnes qui erant eius ordinis a Pompeio evocati erant (Caes. de b. c. 1, 3, 1). duobus diebus comitialibus qui fuerant tertius et quartus huius mensis ante diem tertium nonas Ianuarias et pridie nonas Ianuarias (cf. Hofmanni de orig. b. c. comm. pag. 117) non verbis magis quam rebus amicorum et necessariorum animos Pompeius confirmaverant, veteranos evocaverat, multos milites ex Apulia Romam venire iusserat, senatores magnopere admonuerat ut in senatu qui nonis Ianuariis futurus erat frequentes adessent. venerunt ipsae nonae. completa sunt hominibus uberius quam ex ratione superiorum dierum expectari potuerat proxima curiae loca. solito uberius turba ex omni genere hominum mixta curiam circumstetit. quibus ex rebus conflatur et efficitur ea quam quaerimus medela ut cum quae codicibus servantur ea depravari potuerint ex his genuinis „completuberiusciuibcomitium trpleincuriauiolat“ additis compendii signis, facili ac leni correctione exarare nobis liceat „Completur uberius civibus comitium, tribuni plebis in curia violantur“ quorum priorem partem satis commendatam atque confirmatam esse superiore disputatione nostra persuasissimum nobis est, altera dubia non videri non potest. nam cum continuo narrentur a Caesare in senatu ipso frequentissimo vocibus et concursu Pompeianorum territi esse infirmiores, dubii confirmati, plerisque vero libere decernendi potestas erepta, conicere quidem iam licet ea quae secundum testimonia codicum de „tr. pl.“ narrata erant ad ipsam sane curiam pertinuisse in quam illi vocati cum adversariis eodem citatis se conferebant. ibi tum constat inter omnes (cf. Hofmanni de or. b. c. comm. p. 117) relatum esse de intercessione, „nam agi secum hac de re ita certe ut consules voluerant Antonius et tribuni passi non erant“ teste Cicerone Philipp. 2, 21, 52 „neque tu tecum de senatus auctoritate agi passus es?“ at quamvis turbulentae

nonarum tempestates fuerint in quibus nec vestes ex senatus auctoritate mutatae (cf. Cass. Dion. 41, 3) nec minae Lentuli consulis exacerbatae tribunos plebis moverunt tamen paullo audacius aliquis agat si statuat manu quidem tactos tribunos verberibus affectos ferro vulneratos armis confectos esse (cf. Mommseni hist. Rom. 3[1] pag. 340) Caesarem haud dubie non narrasse sed potuisse referre vel certe significare eos verbis vocibus convitiis vehementissimis contumeliose ac violenter a multis Pompeianis temptatos esse. licet enim totus rerum status eos viros qui ante diem septimum idus Ianuarias vi expulsi senatus auctoritati cesserunt triduo ante perpetiendis iniuriis nefandis obnoxios esse potuisse evincat atque ab ipso Cassio Dione illi iam dicantur ex Roma urbe discessisse 41, 3 φοβηθέντες ἄλλως id est aliis rebus praeter Lentuli consulis minas et senatus auctoritatem perterriti tamen fieri non potest ut recte statuamus fidemque cuiquam faciamus Caesarem talia scelera in tribunos plebis viros aestumatissimos commissa quos quidem vel uno verbo violare nefas et habebatur et erat modo obiter tradidisse ac vix leviter tetigisse. itaque relinquitur ut temptes eis qui Caesarem legunt commendare „tribuni ple. in curia vocantur“ quod tamen cum Caesar non narraverit eos plebem tum audisse et apud populum contionatos esse ferri nequit vel conicias refingendum esse „tribuni ple. in curiam vocantur“ quod tamen cum a praecone patres simul in senatum citari atque convocari soleant (Liv. 3, 38, 8) dictum esse a Caesare non potuit nec potuit eo sensu quo Livius 5, 7, 9, Weissenb. 8 Maduig. Ussing. commemoravit singulos e plebe homines potuisse a senatu coacto in curiam vocari „quibus responsum daretur“ quoniam tribuni frequentes ipsi senatui adesse solebant. denique quod sciamus superest ut nobiscum scribas: „Completur uberius civibus comitium, tribuni plebis in curiam convolant“ quod vides nec languere cum haud dubie illi in curiam tum ab amicis suis compulsi sint et ut frequentes adsint properaverint neque abhorrere ab oratione Caesaris concitata et optime antecedere eis quae continuo secuntur „omnes amici consulum, necessarii Pompei atque eorum qui veteres inimicitias cum Caesare gerebant, in senatum coguntur.“

Atque haec quidem hactenus de loco corruptissimo. progrediendum nunc est ad alia. etenim quod 1, 4, 1 exarari solet „omnibus his resistitur omnibusque oratio consulis, Scipionis, Catonis opponitur“ id cum non totum servetur Parisino sed in eo pro „oratio“ spatium vacuom sit, ad fidem libri Hauniensis qui plene haec servavit „omnibus oratio“ cum ubicumque *a* et *e* inter se discrepant casu non consulto dissensus natus esse videatur, vix dubium nobis est quin ἀσυνδέτως sicuti superiora 1, 3, 2 „multi ... evocantur, multi ... arcessuntur“ procedunt, scribendum sit „omnibus his resistitur, omnibus oratio consulis, Scipionis, Catonis

opponitur.“ eodem autem animo Caesar scripsit quo inimici omnia raptim (de b. c. 1, 5, 1) egerunt.

Rectissime Arnoldus Hugius annal. philol. et paedag. Teubner. 1860 vol. 81 fascic. 12 pag. 880 docuit 1, 4, 3 „arbitrabatur“ quod in Leidensi extare quoniam is consulto correctus est nihil refert, pro „arbitratur“ quod est in *a* et *e* esse scribendum: „Scipionem eadem spes provinciae atque exercituum impellit quos se pro necessitudine partiturum cum Pompeio arbitrabatur, simul iudiciorum metus adulatio atque ostentatio sui et potentium qui in re publica iudiciisque tum plurimum pollebant.“ in secundariis enim enuntiationibus praesentia historica primaria secutis modoque verbi indicativo usis non solum post coniunctiones id quod Kranerus concessit ad Caes. comm. de b. Gall. 6, 4, 3 editione demum quarta a. 1863. pag. 262 „quod aestivum tempus instantis belli, non quaestionis esse arbitrabatur“ (cf. de b. c. 1, 9, 1 „quae res etsi nihil ad levandas iniurias pertinere videbantur“ 1, 21, 1 „etsi magni interesse arbitrabatur quam primum oppido potiri“ 1, 23, 4 „etsi eam pecuniam publicam esse constabat datamque a Pompeio in stipendium“ 1, 27, 2 „quod ab initio Italia excedere constituerat“ 1, 30, 3 „quod omnem provinciam consentire intellegebat, ex Sardinia in Africam profugit“ 1, 42, 1 „quod longius erat agger petendus“ 1, 46, 3 „etsi deiectis atque inferioribus locis constiterat“ 1, 64, 4 „etsi timebat tantae magnitudini fluminis exercitum obicere“) sed etiam post pronomina relativa a praesenti verbi tempore Caesar abstinuisse putandus est nisi certae aderant consilii mutandi causae. cf. de b. c. 1, 3, 4 „qui veteres inimicitias cum Caesare gerebant“ 1, 4, 3 „qui ... pollebant“ 1, 5, 1 „quod Lucius Sulla reliquerat“ (de quo loco infra disputabimus) 1, 5, 2 „quod ... censuerant“ (de quo loco item infra exponemus sententiam nostram) 1, 6, 1 „quae per Scipionem ostenderat“ 1, 7, 7 „quae aderat“ 1, 8, 1 „qui ad eum confugerant“ 1, 8, 2 „cuius pater Caesaris erat legatus“ .... „cuius rei causa venerat“ 1, 10, 2 „quorum haec erat summa“ 1, 12, 3 „quod oppidum Attius cohortibus introductis tenebat delectumque toto Piceno circummissis senatoribus habebat“ 1, 13, 2 „quod introduxerat“ 1, 13, 4 „qui hunc eundem ordinem in exercitu Cn. Pompei antea duxerat“ 1, 14, 4 „qui lege Iulia Capuam deducti erant“ .... „quos ibi Caesar in ludo habebat“ 1, 15, 2 „quod oppidum Labienus constituerat suaque pecunia exaedificaverat“ 1, 15, 5 „quas ibi in praesidio habuerat“ 1, 16, 1 „qui ab eo discesserant“ 1, 18, 1 „qui id oppidum VII cohortium praesidio tenebant“ 1, 18 3 „quo profectus erat“ 1, 21, 2 „qui venerant“ 1, 21, 3 „quae facere instituerat“ .... „ut erat superiorum dierum consuetudo“ 1, 22, 4 „quae erant maxima“ 1, 23, 4 „quod advexerat Domitius atque in publico deposuerat“

1, 24, 1 „quae erant ad Corfinium gestae“ 1, 24, 3 „cui praecrat Vibius Curius“ 1, 25, 1 „quas ex novo delectu confecerat atque in itinere compleverat“ 1, 27, 1 „quae priorem partem exercitus eo deportaverant“ 1, 27, 4 „quae extra murum ad portum ferebant“ 1, 28, 3 „qui erant in muro custodiae causa conlocati“ .... „quod convenerat“ 1, 28, 4 „quae ad moles Caesaris adhaeserant“ 1, 33, 4 „quae agere destinaverat“ 1, 34, 1 „quem ... dimiserat“ 1, 34, 2 „quas ... compleverat“ 1, 34, 3 „quos ... erat adhortatus“ 1, 35, 2 „reliqua quae ad eorum sanandas mentes pertinere arbitrabatur commemorat“ 1, 37, 1 „quas .... disposuerat“ .... „qui eo tempore ab L. Africano legato praesidiis tenebantur“ 1, 37, 2 „quae longius hiemabant“ 1, 38, 1 „quorum unus .... obtinebat“ 1, 38, 2 „quas habebat“ 1, 40, 5 „qui legionibus praecrat“ 1, 40, 7 „quas .... miserat.“ ex his iam locis vides elucere ubi secundariis enuntiatis post pronomina relativa protulit ea quae ad enarrandas res et condiciones aliquando firmas atque constantes pertinerent siquis dicendus esset tum gessisse adfuisse fuisse tenuisse habuisse praefuisse tulisse arbitratus esse hiemasse obtinuisse existimasse (1, 81, 5), Caesarem praesenti verbi tempori pepercisse, imperfecto usum esse. praesens autem tempus quibus finibus ille circumscripserit post voces relativas, his locis apparet 1, 3, 1 „qui sunt eius ordinis“ 1, 15, 5 quas potest contrahit cohortes“ .... „quibus coactis XIII efficit“ 1, 18, 1 „quod oppidum a Corfinio VII milium intervallo abest“ 1, 36, 2 „onerarias naves quas ubique possunt deprehendunt atque in portum deducunt quarum quamvis levi materia atque armamentis infractis ad reliquas armandas reficiendasque utuntur“ (sic enim locum emendandum esse consemus qui corrupte hoc modo legitur „deducunt parum clavis aut materia atque armamentis instructis ad“ et q. s.) 1, 38, 3 „qui ad Oceanum pertinent“ 1, 60, 2 qui flumen Hiberum attingunt“ 1, 72, 5 „quam proxime potest“ 1, 75, 2 „quos deprendit interficit“ 1, 80, 1 „crebroque ut sint auxilio suis subsistunt ut tum accidit“ 1, 84, 5 „quam potest“ 2, 14, 3 „quae possunt“ 2, 15, 3 „operi quaecumque sunt usui“ 2, 20, 8 „quod penes eum est pecuniae tradit.“ ex quibus locis intellegitur plane aliam esse rationem illius loci 1, 4, 3 unde profecti sumus. atque plusquamperfectum tempus huc admitti et res et codicum testimonia vetant.

Tum 1, 5, 1. 2. cuius loci partem alteram iam in emendationibus Caesarianis ante hos quattuor annos a me editis pag. 15. s. attigimus scribendum esse censemus: „His de causis aguntur omnia raptim atque turbate. nec docendi Caesaris propinquis eius spatium datur nec tribunis plebis sui periculi deprecandi neque etiam extremi iuris intercessione retinendi facultas tribuitur sed de sua salute septimo die cogitare coguntur quod illi turbulentissimi superioribus temporibus tribuni

plebis toto denique emenso spatio suarum actionum in trepida re attinere censuerant.“ Ac primum quidem id quod codices habent ac tuentur „quod Lucius Sulla reliquerat“ post „retinendi“ vocem et ante „facultas“ nomen inepte insertum quoniam maximopere totum periodi artificium perturbat interpolatorem redolet qui ex 1, 7, 3 „Sullam nudata omnibus rebus tribunicia potestate tamen intercessionem liberam reliquisse“ didicerat neque animum adverterat posteriore loco Sullam et Pompeium a scriptore elegantissimo aptissime sibi opponi, hoc priore causam Caesari esse potuisse plane nullam Luci Sullae nominatim commemorandi. quam ob rem haec quattuor verba ex arto narrationis nexu eicienda esse duximus. Tum pro ultimis codices haec habent *a* „tribuni plebis octo denique menses uariarum actionum respicere ac timere consuerat“ lineola supra hoc tau flexa *e* „tr. pl. octo denique mense uariarum actionum respicere ac timere consuerat“ ex quibus quod editores sumpserunt „tr. pl. octavo denique mense suarum actionum respicere ac timere consuerant“ absurdum esse recte docuit Kranerus ed. pr. pag. 284 s. ed. alt. pag. 291. his verbis: „Die Vulgatlesart und die gewöhnliche Erklärung derselben habe ich immer für absurd gehalten. Der ganze Gedanke und die genaue Berechnung, wann die früheren Tribunen anfingen, für ihr Heil zu fürchten, nämlich im achten Monat ihrer Amtsführung, in den die Wahl der neuen Consuln, denen sie einst würden Rechenschaft zu geben haben, fiel, ist fast scurril und widerspricht ausserdem den Worten Cäsars, der nicht von der Rechenschaft der Tribunen überhaupt, sondern von der Lebensgefahr (de salute sua cogitare) der turbulentissimi superioribus temporibus tribuni spricht. Der Gedanke und der Gegensatz kann nur sein: die Lebensgefahr begann für diese Tribunen schon am siebenten Tage nach dem Amtsantritte [scilicet „der Consuln“! in qua re Doberenzius quoque ed. alt. pag. 7. a recta via aberravit quam ed. prior. pag. 7. ingressus erat], für jene Tribunen erst mit und nach Niederlegung ihres Amtes“ sed quae Theodori Mommseni viri doctissimi suasu recepit „toto denique emenso spatio suarum actionum respicere ac timere consuerant“ eorum priorem partem nisi malueris „tota denique emensa via suarum actionum“ in nostrum quoque usum convertimus, dubitavimus de altera probanda quod de consuetudine quadam paucorum illorum tribunorum ut Gracchorum et Saturnini paucorumque post ante diem quartum idus Decembris dierum (Becker enchirid. antiq. Roman. 2, 2 pag. 263. Lange antiq. Roman. 1 pag. 594) sermo iniectus esse non videtur neque illi qui de suo periculo timere cogebantur ut scriptum apud Caesarem est de b. c. 3, 27, 1 ullo modo potuerunt nisi duro et obliquo dici respexisse et timuisse „cogitare de sua salute.“ cf. Hirt. de b. Gall. 8, 27, 2

„si tempore eodem coactus esset et Romanum externum sustinere hostem et respicere ac timere oppidanos.“ atque ideo ausi sumus audemusque illa commendare legentibus quae supra demonstravimus. nam neque Emanuelis Hoffmanni placuit anxia quidem non tamen vera temporum computatio scribendum esse rati „ultimo denique mense suarum actionum respicere ac timere consuerant“ quorum initio sibi non nobis persuasit enatum esse falso numerum octavum ex „ultio“ lineola supra iota flexa quod propter exiguam „lti“ litterarum ex codicum more differentiam facile perspici censet quomodo corrumpi potuerit in „umo“ lineola supra my directa vel „um“ lineola supra my directa omega minimi circini supra lineolam superducto, nec veri simile est illud Helleri Philol. XIX., 3 pag. 514 s.: „peracta denique messe nefariarum actionum“ quod his verbis defendere frustra conatus est: „Der ausdruck ist rhetorischer, als im b. Gallicum Cäsar sich auszudrücken pflegt; man wird aber überhaupt finden, dass in dieser darstellung der bürgerlichen zwistigkeiten, wie es die sache mit sich brachte, Cäsar unwillkürlich zu den rednerischen wendungen der curie und des forums hingerissen wurde. Dass ich nefariarum vermuthe (statt variarum) kommt daher, weil ich glaube, dass Cäsar die gelegenheit benutzt haben wird, seine eigne handlungsweise als ganz getrennt und himmelweit verschieden von dem verfahren früherer umsturzmänner darzustellen, um die gemässigteren und friedfertigeren der noch immer widerstand versuchenden senatspartei für sich zu gewinnen.“ pro ea enim lectione potius „inter ipsam messem actionum“ vel „inter fructum actionum suarum ferendum“ tribunos illud respexisse ac timuisse narrari a Caesare certe expectandum erat. atque erratum est nefariis actionibus quoniam tribunorum, non Caesaris erant actiones. sed ut omittamus triginta dierum computationem et messem de improviso peractam, in utraque ratione displicet cum istud respicere ac timere tum vox consuescendi.

Deinde quae secuntur 1, 5, 3 ea inter omnes fere constat corrupte quidem codicibus servata esse. tuentur enim *a* „in desperatione omnium salutis latorum audacia numquam ante discessum est dent operam consules praetores tribuni plebis quique cons ad urbem“ lineola supra sigma vocis cons flexa, *e* „in desperatione omnium salutis latorum audacia numquam ante discessum est dent operam consules p. R. tri. pl. quique consules sunt ad urbem“. sed communi virorum doctissimorum opera Kohlii Pantagathi Nipperdei quaest. Caes. pag. 126 s. plurimis mendis liberata sunt ut a Kranero edit. alt. pag. 64 s. praeter illos Beckerum Zeitschr. f. d. Alterthumswissenschaft 1851, 56. et Kochium Musei Rhenani v. XI. pag. 638 secuto hunc fere in modum proferantur: „Decurritur ad illud extremum atque ultimum senatus consultum quo nisi paene in ipso urbis incendio atque in desperatione omnium illata sceleratorum audacia numquam ante descensum est: dent operam consules praetores tribuni plebis quique pro consulibus sint ad urbem ne quid res publica detrimenti capiat“ in quibus unum „sceleratorum“ nomen cum displiceat quod a codicum testimonio nimis discrepat, mutatum esse velimus in „malorum“ vocem quam cum vicinia sua commendari putamus collato Cicerone Philipp. 14, 3, 7 „testamenta, credo, subiciunt aut eiciunt, vicinos aut adolescentulos circumscribunt, his enim vitiis affectos et talibus malos aut audaces appellare consuetudo solet.“ namque ea dubitatione qua Hellerus Philol. XIX, 3 p. 515 ut sceleratorum nomen reiciat permotus est hi homines mali a nobis propositi non tanguntur nec tangitur id ipsum Beckerianum. is enim „abgesehen davon, inquit, dass in dieser fassung Cäsar hier ganz allgemein den gesammten senat (noch dazu aller zeiten), welcher den consuln dictatorische gewalt verlieh, scelerati genannt hätte, was vollständig abenteuerlich und abgeschmackt wäre, ist es durchaus nothwendig, dass er durch einen ausdruck zu verstehen giebt, er meine nicht die verleihung der dictatorischen gewalt im kriege..... Man schreibe daher .... um diese nothwendige bezeichnung der verleihung der dictatorischen gewalt „bei friedenszeiten“ hineinzubringen, statt latorum den genitiv togatorum; togati heissen ganz allgemein die Römer, wenn sie keinen krieg führen.“ at eo quod opinatur illa voce ipsos senatores tamquam scelerati essent perstringi magnopere fallitur. nescio quo pacto vir doctissimus totam quae agitur rem male intellexit. nam ista audacia, scelera, malitia eorum hominum esse atque ab eis in viscera rei publicae inferri putanda sunt contra quos senatus consultum fiebat, non eorum qui erant senatorii ordinis et decernebant ut viderent consules ne quid res publica detrimenti caperet. denique quod scribendum esse Hellerus censuit id valde displicet et ob cumulatos disparis generis genetivos „omnium salutis“ et ob unum tenorem quo male diceretur desperatio omnium et togatorum audacia eorundem hominum extitisse quarum animi perturbationum hac pauci ac mali, illa ceteri cives commovebantur. ac ne quis forte putet nobis solis mentem adeo occaecatam esse ut ingenue fateamur nos plane nihil causae repperisse cur hoc loco vel omnino vel potissimum Caesaris interesse potuerit ut commemoraret instante atque exardescente ipso bello civili per audaciam virorum togatorum et in urbe locatorum qui maluerint bona pace cum civium suorum tum aliorum populorum vita frui inerti quam populum Romanum ad arma vocare, non iam ab armatis paludatisque et ad bellum profecturis senatus consulta eius modi facta esse, ipse Hellerus quam infirmo staret fundamento quantoque opere levissima aura labasceret ista ratiocinatio sua divinasse atque intellexisse videtur. pergit enim

loco laudato: „Wenn aber Cäsar in der anrede an seine soldaten 1, 7, 5 diesen unterschied fallen lässt, so hat das seinen guten grund: durch den schritt, den er that, war in wirklichkeit der kampf ausgebrochen, und er musste daher schicklicher weise den kriegsfall wohl mit stillschweigen übergehen.“ num idcirco Helleri causa confirmabitur? immo plus una parte laborabit nisi ex viri doctissimi coniectura concedes hunc quidem scriptorem in significandis civibus Romanis quamquam eadem res erat minimo intervallo interiecto misere variare potuisse orationem. atque ut omittamus Helleri de senatoribus explicationem fac illis civibus togatis eos homines audaces qui periculosas leges tulerant vique tribunicia in malam partem usi erant denotari, quid tandem minus accommodatum ad rem quae tractatur, quid artificiosius excogitatum ab auctore simplicitatis amantissimo potest fingi? Hofmannum vero qui cum Ausgewählte Briefe von Cicero I. p. 170 codicum scripturam „in desperatione omnium salutis, latorum audacia“ intactam retinuerit aliter ac nos statuit rogatum esse velimus ut secum reputet non ferri solere ad senatum sed referri, neque referri ut hoc vel illud decerneret senatus sed de hac vel illa re quid videretur ut relatione quidem sententiae senatorum nulla ex parte impedirentur id quod optime exposuit Nipperdeius quaest. Caes. pag. 127. Haec habuimus de „illata malorum audacia“ quae diceremus. tu autem si tibi ea quae de hoc loco disputata sunt minus probabuntur tuo Marte rem conficies.

In eis quae leguntur 1, 5, 4 „Haec senatus consulto perscribuntur ante diem septimum idus Ianuarias. itaque quinque primis diebus quibus haberi senatus potuit qua ex die consulatum iniit Lentulus, biduo excepto comitiali et de imperio Caesaris et de amplissimis viris tribunis plebis gravissime acerbissimeque decernitur“ delendum nobis videtur quo vehementer offendimur languidum illud ipsorum tribunorum plebis nomen quippe quod additamentum omnem orationis vim tollat neque ulli nisi interpolatori debeatur qui praecepit ea quae continuo Caesarem addere meminerat: „profugiunt statim ex urbe tribuni plebis seseque ad Caesarem conferunt.“

Iam perventum est ad corruptissimos locos 1, 6. eo capite ineunte Pompeius copias suas exposuisse dicitur ad fidem codicum manu scriptorum: „legiones habere sese paratas decem“ quem numerum postquam corruptum esse mutandumque in nonarium optime docuit Nipperdeius quaest. Caes. pag. 127 s., nuperrime male retinuit Hofmannus de or. b. c. pag. 159 et frustra conatus est Augustus Goelerus vir nobilis Bürgerkrieg zwischen Cäsar und Pompejus im J. 50/49 v. Chr. 1861 p. 2 his verbis defendere: „Er [Pompejus] hatte damals über zehn Legionen zu verfügen, aber nur drei jener Legionen standen in Italien selbst, nämlich die beiden von Cäsar

an Pompejus abgetretenen — die erste und dritte Legion — und eine Legion unter Domitius; sieben Legionen standen in Spanien ..... Domitius hatte zu Corfinium damals zwölf ... wenn auch nicht alte, doch bereits ausgehobene und aufgestellte Cohorten, unter denen sich viele Evocaten befanden ... und diese konnte Pompejus als seine zehnte Legion rechnen.“ at vir doctissimus quamquam recte statuit in Italia Pompeium tum duas illas legiones habuisse a Caesare insidiose retentas paene alienas, in Hispaniis quas per legatos obtinebat cum Afranio tres cum Petreio duas cum Varrone item duas, tamen graviter erravit opinatus ex eis delectibus qui ut tota Italia haberentur institutum esse extremo demum hoc capite 1, 6, 8 narratur, iam his proximis ex ante diem septimum idus Ianuarias diebus Pompeium exposuisse cohortes quoque Corfinienses sese habere paratas videlicet antequam illae conscriptae essent. itaque optimo iure Nipperdeius posuit: „legiones habere sese paratas novem.“

Quae paullo post in codicibus extant 1, 6, 5. 6. 7. vehementer corrupta esse quis est qui ignoret? ac quamvis fortiter peritissimi harum rerum existimatores aggressi sint ea verba emendare tamen etiam nunc in eis aliquot difficultates resident quae ut tandem removeantur valde expetendum est. in codicibus autem haec ita scripta leguntur: „De reliquis rebus senatus consulta perscribuntur [*e* praescribuntur]. Provinciae privatis decernuntur, duae consulares, reliquae praetoriae. Scipioni obvenit Syria [*e* sciria], L. Domitio [*a* Domicio] Gallia: Philippus [*a* Phylippus] et cotta privato consilio praetereuntur neque eorum sortes deiciuntur. In reliquas provincias praetores mittuntur. Neque expectant [*e* exspectant] quod superioribus annis acciderat ut de eorum imperio ad populum feratur paludatique votis nuncupatis exeunt. consules quod ante id tempus accidit [*e* acciderat] numquam ex urbe proficiscuntur lictoresque [*e* littoresque] habent in urbe ex Capitolio privatim contra omnia vetustatis exempla.“ iam paucis exponere propositum est quid nobis videatur ad haec emendanda conferendum. et primum quidem Nipperdei coniecturam scribendum esse arbitrati „Scipioni obvenit Syria, L. Domitio Gallia: consules privato consilio praetereuntur neque eorum sortes deiciuntur“ cum Kranero ed. prior. pag. 285 ed. alter. pag. 292 et Hofmanno de orig. belli civ. pag. 147 ss. censemus ferri non posse quod Gaius Claudius Marcellus et Lucius Cornelius Lentulus huius anni consules haud dubium est quin ius sortiendarum provinciarum non habuerint. more autem maiorum consulibus per se concessum erat teste Cicerone ad Attic. 8, 15, 3 vel omnes cum imperio adire provincias si placeret. Caesar vero si praeteritos Lentulum et Marcellum collegam dixisset, eodem honore quo alii Pompeiani digni habebantur inimicos suos ab inimicis suis ipsorum amicis indignos

habitos esse significasset id quod veri simile non est. eos duos viros non esse praeteritos dum censemus, factum potius esse statuimus cum ex lege Pompeia tum ob indolem rerum universarum omnino gerendarum gravissimam ut utrique consuli cuiusque anni non liceret postulare ut in suo magistratu in annum negotiorum suorum consularium ipsum sui ratio haberetur in sortiendis provinciis. praeterea ambabus largimur manibus per se et omissis ceteris rebus omnibus in duplici consulum hoc loco commemoratione et praeteritorum et profectorum quam factam esse Nipperdeius credidit esse aliquid quod displiceat. at si Nipperdei adsciveris emendationem profectionem ex urbe consulum bis commemorari patere id quod D. Terpstra vidisse sibi visus est in observationibus criticis in Caesaris commentarium de bello civili Miscellaneis philologis Batavorum 1854 insertis pag. 39, 3 equidem nondum animum adverti. verum Nipperdeius quaest. Caes. pag. 131 exposuit illa verba „neque expectant ut de eorum imperio ad populum feratur“ cett. de omnibus qui provincias sortiti erant intellegenda esse apparere id quod haud dubie verissime dicit atque idem potius consules inter sortiendum praeteriri iussit. Haec quidem hactenus. pergendum est ad alios Caesaris editores atque interpretes. quae Nipperdeius in solis consulibus eadem in pluribus statuit Oehlerus. is enim scripsit „Philippus et consules“ et praeterea cumulavit errores quod paullo post interpungi male iussit „neque eorum sortes deiciuntur in reliquas provincias. Praetores mittuntur neque expectant“ etqs. at de his extremis infra videamus, de illis uno verbo res conficitur nec Philippum tribunum plebis neque consules hoc loco ferri posse. at vero Caesar Philippum quondam consulem intellegi voluit. tum is apertius significandus erat a Caesare. ideo etiam Oehleri de hoc loco opinionem repudiamus. Nec melius quam utrique viro doctissimo res processit Kranero qui pro consulibus huius anni 705, 49 potius Lucium Aemilium Paullum et Gaium Claudium Marcellum consules prioris anni 704, 50 (cf. Mommseni inscript. Latin. antiquiss. 1863 pag. 540) a Caesare appellatos esse ratus typis premi iussit: „Paullus et Marcellus privato consilio praetereuntur neque eorum sortes deiciuntur“ quam rem confirmari posse perperam putaverat eo quod legem Pompeiam de industria a Caesare dissimulatam esse opinabatur. nam falso statuit Caesarem oratorum fere rationem secutum esse id unum in rebus dubiis spectantium quomodo ad persuasionem apposite dicant si quidem ei qui audiunt redarguendi vel potestatem non habent vel voluntatem. „at haec, Hofmannus autem de b. c. pag. 148 quae contra Nipperdeium facere professus est eadem nobis in Kranerum suppeditat, quid ad Caesarem? Suscepit et tutatus est cum dignitate partes rerum scriptoris, cui tamquam materies in qua versetur veritas subiecta est. Deinde librum suum

composuit non iis qui fando quae gesta essent accepissent, sed qui ipsi gerendis rebus interfuissent, non iis qui quid verum esset quid falsum diiudicare nequirent, sed eruditissimis, non amicis aut qui in omnia reipublicae capessendae consilia se consociassent, sed infestissimis et qui orbati publicis muneribus omnem occasionem de laude eius aliquid detrahendi cupide arriperent. Denique lex ipsa, de qua Caesar egit, qualis tandem ea erat? Lata erat septem annis antea, decretae erant ex ea bis provinciae, a. 703 et 705, utroque anno ita ut hominum animi valde commoverentur, superstites erant multi qui ea lege praeter expectationem provinciis aut ornati fuerant aut orbati. Videsne igitur notissimam illam legem fuisse? Quid, quod ipse Caesar b. civ. I, 85 haec scripsit: in se iura magistratuum commutari, ne ex praetura et consulatu, ut semper, sed per paucos probati et electi in provincias mittantur? Credibile scilicet est, quam rem factam esse ipse gravissime questus est, eandem factam non esse eodem libro Caesarem persuadere voluisse. Aut credi autem hoc potest, aut reiicienda est Nipperdeii emendatio.“ Haec quidem Hofmannus. atque ut Nipperdei sic Kraneri et Arnoldi Hugi. eum enim eisdem ex causis opinione falli censemus quippe qui Philol. vol. XI. pag. 671 scribendum esse coniecerit „prioris anni consules.“ praeterque illos viros doctissimos Drumannum quoque olim hist. Rom. 2. pag. 394, 77 suspicatum praeter Philippum quondam consulem hoc loco commemorari „Marcum Marcellum“ anni 703, 51 consulem ex ipso Caesare de b. c. 1, 2, 2 notissimum. Quid igitur? cum Caesar Pompeiam legem non dissimulaverit immo aperte eam indicaverit in eis quae 1, 85, 9 Afranio respondit in se iura magistratuum mutari ne ex praetura et consulatu ut semper in provincias mittantur, audiendusne est D. Terpstra qui cum Caesar privatis provincias datas esse queratur in miscellaneis philologis Ultraiectinis pag. 36 ss. iudicans necesse esse hoc loco nominet eos qui illo tempore privati non essent „ut nihil, inquit, quod Romae a factiosis illis Pompeji amicis gerebatur, Caesarem in Gallia fugiebat, ita hoc potissimum animum ejus odio impleverat, eosdem homines, qui reïpublicae causa legem Pompejam de magistratibus factam dicerent, in se revera eam tulisse, ut post finitum imperium privatus Romam veniret atque in potestate esset Pompeji, cui contra legem in quatuor novos annos imperium erat prorogatum. Itaque tum invidia et odio incensus, tum quod popularis haberi cupiebat, quae proximis annis lata erat lex, eam, ut legibus et mori majorum contrariam, se non agnoscere ostendit neque probasse eo tempore, quo bellum erumperet (verbis sc.: „Provinciae privatis decernuntur“): id quod facto confirmavit, quum et legem et senatusconsultum ex ea factum abrogaret, simul ac rerum esset potitus. Quosnam igitur ex Caesaris sententia praeterire et in sortitione provinciarum

negligere non oporteret, jam unusquisque videt: anni scilicet proximi consules, qui more majorum proconsules erant designati atque adeo privati vocari neque poterant neque debebant. In locum adeo eorum, qui in vulgata nominantur, substituo „Paullus et Marcellus“ qui anno 50 a. C. N. consules fuerunt.“ Haec quidem Terpstra. atque is haud dubie verum vidit Caesari legem Pompeiam incommodam ac molestam iam tum fuisse sed quod idem censuit cum Caesar provincias privatis decretas esse narraverit eum sese hanc legem inritam habere neque agnoscere palam professum esse id non dubium est quin vi quadam adhibita ac perperam ex illa narratione extorserit quippe quae commemorato statu privato nihil nisi ipsam rem a Pompeio institutam sine ira et studio tetigerit. verum ita comparatis rebus refellitur gravis in ipsa causa quae agitur viri doctissimi error putantis nominandos Caesari fuisse viros qui tum quidem non privati essent sed ex consulatu in provincias mitti deberent. refutatur enim Terpstrae opinio ab ipso Caesare qui memoriae prodiderit non quidem ex lege Pompeia quam hoc certe loco ille infestis verbis minime aggressus est et cum laudare tum reprehendere prorsus praetermisit sed potius solo Pompeianorum consilio privato „Philippum et cottam“ praeteritos esse. unde iam apparet Caesarem hac quidem narratione privatam praeteritorum hominum condicionem non perstrinxisse quam siquis in provinciam mitti volebat lex Pompeia postulaverat. eandem autem legem si scriptor elegantissimus luculenter ostendere voluisset a se non agnosci, putamus futurum fuisse ut id clara voce nec dubitatione ulla relicta indicaret. sed cum privatum Pompeianorum consilium nec vero publicam illam legem Caesar exposuerit causam fuisse cur viri honestissimi praeterirentur nec praeterea potuerit in privatorum nomine versari offensio quaedam legitima vel hominum illius aetatis ipsorum reprehensio posita esse, patet luce clarius Terpstram in discrimine privatorum et non privatorum urgendo falso conquisivisse sibique invenisse remedium ad sanandum hunc locum corruptum. in ipsa privatorum appellatione nullae nobis unquam suspitiones obortae sunt ut aliquamdiu nescio quo pacto in mentem venerant Th. Mommseno (teste Kranero ed. prior. pag. 285) qui tamen postea (cf. Mommsen, Die Rechtsfrage zwischen Caesar und dem Senat 1857 pag. 30, 71) bene recessit a periculo olim facto eius vocis ut additamenti removendae. itaque privatorum nomen quia ad Caesaris querellas de iuribus magistratuum in se mutatis optime convenit forti animo tuemur. etenim in isdem privatis pro virili parte tuendis eos qui hunc Caesaris commentarium legunt aptissime monuit Kranerus ed. prior. pag. 64 ed. alt. pag. 66 ut doceruntur exemplo Scipionis Domitique paullo post adlato ne pro privatis eos haberent qui munere consulari praetoriove nunquam fuissent functi. Atque haec quidem hactenus. ad reliqua

priusqam pergere licet restat ut paucis commemoremus Fridericum Hofmannum in commentario de b. c. pag. 151 ss. censuisse servata codicum scriptura Philippum et Cottam consulares viros esse hoc loco intellegendos praeter quos complures consulares fuerint quorum ratio eo anno ex lege Pompeia habenda esset sed qui praeteriti esse nominatim non dicantur. Philippum haud dubium est quin dicat consulem anni 698, 56 quem nos quoque hoc loco intellegendum esse infra docebimus, alterum autem Lucium Aurelium Marci filium Cottam item affinitate et amicitia cum Caesare coniunctissimum consulem suffectum anni 689, 65 censorem anni 690, 64 (cf. Pauly Real-Encyclopädie I ed. prior. 1839 pag. 1015, 9. Mommsen inscr. Lat. antiq. pag. 202, 784. 541. 624). at sunt in ea ratione quae magnopere displiceant. atque ut omittamus non addita praenomina aliasve certorum hominum denotationes neglectas ut fere in hominibus rebusque notissimis primum quidem concedi posse non videtur Caesarem hoc loco Scipioni Pompei affini soceroque tam nude suos affines opposuisse qua re risum inimicis movisset magis quam praetereundi indignationem inter suos excitasset. deinde ex Hofmanni coniectura non liquet quanam ex causa nomina ceterorum omnium consularium praeteritorum reticuerit Caesar praesertim cum si alios quoque quorum ratio ex lege Pompeia habenda fuisset praeteritos esse criminari potuisset credendus omnino non sit in Philippi et Cottae mentione acquieturus fuisse. „arripiebat enim ille, ut ipsius Hofmanni verbis utamur l. l. pag. 150, ut in lubrica defensionis ratione vel minima unde fore videretur causae suae aliquid praesidii.“ denique vir doctissimus exponere praetermisit quam ob rem putaret hoc potissimum sententiarum rerumque nexu commemoratas modo antea Syriam et Galliam provincias continuo sequi nomina Philippi et Cottae ex quibus viris alterius rem infra expediemus, alterius causam non possumus non relinquere impeditam atque intricatam nec perditam restituemus. itaque pariter atque Elberlingium qui de isdem duobus viris cogitavit observat. critic. pag. 62 ss. 67 s. Hofmannum hac certe in re nihil moramur. Quae si recte disputavimus iam eo propius accessimus ut nobis viam praemuniamus ad nostram rationem expediendam quae quidem nititur in discernendis duabus provinciis consularibus ab numero reliquarum praetoriarumque et segreganda una provincia consulari ab altera. itaque decreverat senatus ut proximo anno 705 Syria et Gallia provinciae more consueto consulari imperio obtinerentur. consuetudinem enim probant praeter ipsius Caesaris dignitatem M. Valeri Messallae Corvini honorem (Mommsen C. J. L. I p. 461 unde sequitur p. 464 col. 2 v. 29 legendum esse „mense Septembri anni 727“) aliaque testimonia apud Beckeri continuatorem Marquardtum antiq. Roman. III, 1. pag. 89, 517 inscript. Orell. 186. „C. Sereni

procos. Galliae transalpinae“ et Appian. bell. Syr. 51 (apud eundem Marq. l. l. pag. 194, 1354) *καὶ τοῦδε χάριν* (belli Arabici causa) *ἐς τὸ ἔπειτα* (ex 697 Varron. ann. urb. condit. 57 ante Christum natum in posterum tempus) *ἐγένοντο Συρίας στρατηγοὶ τῶν τὰ ἐπώνυμα ἀρξάντων ἐν ἄστει ἵνα ἔχοιεν ἐξουσίαν καταλόγου τε στρατιᾶς καὶ πολέμου οἷα ὕπατοι. καὶ πρῶτος ἐκ τῶνδε ἐπέμφθη Γαβίνιος μετὰ στρατιᾶς.* atque hoc anno 705, 49 Syria Quinto Caecilio Metello Pio Scipioni, Lucio Domitio Ahenobarbo Gallia transalpina obvenit. illa autem Gabinio proconsuli obvenerat anno 57. ad 55., Crasso anno 55. ad 53., post eius mortem Cassio eius quaestori ad annum 51., tum a. 51. ad 50 Marco Calpurino Bibulo. primus vero Syriae quaestor pro praetore anno 692, 62 a Pompeio Marcus Scaurus relictus erat, huic successerant duo propraetores Lucius Marcius Philippus anno 61. ad 60. et Gnaeus Cornelius Lentulus Marcellinus a. 59. ad 58. quos ex Mommseni inscript. Latin. antiq. pag. 439. 448. 540. notum est anno 698, 56 consules collegas fuisse. cf. Appian. b. Syr. 51. *Συρίας δ' εὐθὺς ὁ Πομπήιος Σκαῦρον τὸν ἐν τοῖς πολέμοις ἑαυτῷ γενόμενον ταμίαν ἔταξεν ἡγεῖσθαι. καὶ ἡ βουλὴ Φίλιππον ἐπὶ Σκαύρῳ τὸν Μάρκιον καὶ Μαρκελλῖνον Λέντλον ἐπὶ τῷ Φιλίππῳ ἄμφω στρατηγικοὺς τὴν ἀξίωσιν. ἀλλὰ τῶνδε μὲν ἑκατέρῳ διετὴς ἐτρίφθη χρόνος τοὺς γείτονας ἐνοχλοῦντας Ἄραβας ἀμυναμένῳ.* quid igitur? nonne ex ipsa re consentaneum est iniuriam quam Caesar amicis sibi haud dubie viris „Philippo et cottae“ queritur illatam, in aliqua re ad res Syriacas pertinente atque duos quosdam viros tangente quorum uterque aliquamdiu pro praetore Syriam nec post consulatum ullam amplius provinciam obtinuerat, quaerendam esse posse magis quam ut in affinitate illa Pompeianis suspecta quaeratur? immo cum res ita comparatae sint ut demonstravimus nihil simplicius atque veri similius est quam Caesarem cum viros quosdam privato consilio praeteritos neque eorum sortes in urnam deiectas esse commemorasset, noluisse hoc narratum esse ratione simul affinitatis et Galliae transalpinae habita, at voluisse de ipsa rei publicae salute et sola Syria provincia consulari intellegi quae cum novissimis annis 51 et 50 Marco Calpurnio Bibulo consuli anni 695, 59 (cf. Mommsen inscr. Lat. ant. p. 540) Pompei amico obvenisset frustra sperabatur a Caesarianis fore ut Syriae olim propraetoribus aut Philippo Caesaris affini (Pauly 4 pag. 1540, 5) aut qui eius collega in consulatu fuerat Marcellino (Drumann 2 pag. 406, 31 Pauly 4 pag. 1523, 24) deberi existimaretur quorum utrique post consulatum anno 56. gestum provincia sorte nondum evenerat nec tunc lex Pompeia erat impedimento atque obstaculo. quibus rebus perpensis haud dubium nobis videtur ut visum est Zumptio commentat. epigraphic. vol. II. pag. 205. Philippi et Marcellini nomina hoc loco tenenda esse quod vetustissimum quemque consularium

in provinciam primum mitti oportuisset arbitrato, quin Caesar pro Cotta nominaverit Marcellinum collegam Philippi. is autem ad Philippum certo denotandum nomine collegii liberius usus quam statuarum tituli ea aetate patiuntur quippe qui commemorare non soleant honores nisi praesentes (cf. Mommseni inscr. Lat. antiq. pag. 180, 615) hoc loco opinor scripsit: „Philippus et Marcellinus collega privato consilio praetereuntur“ etqs. Marcellini enim vocem excidisse apparet e codicum testimoniis cum prae „cottae“ nomine obscurata esset quod quidem dum „Cottae“ alicuius esse iudicatur atque adeo illam expellit nihil aliud fuerat nisi „collegae“ nomen compendio exaratum. hi igitur duo viri quorum uterque illius provinciae rationes per biennium praesentiae et magistratus optime cognitas habebat ab honore rerum Syriacarum gerendarum turpissimo consilio privato exclusi sunt. praeter hos duos etiam plures praeteritos esse ut credamus non potuimus a nobis impetrare. vix aegre forsitan commissum est ut his duobus viris aestumatissimis unus iste Scipio Pompei socer tamen praeferretur quamquam difficultas legis Pompeiae obstabat. quoniam enim Scipio anno 702, 52. Domitius anno 700, 54 consulatum gesserat, quinquenium lege et senatus consulto praefinitum si ab inito magistratu annos computari placet id quod Pompeianis haud dubie placuerit Domitio soli, non Scipioni expletum erat. qua re denuo firmitas nostrae sententiae egregie adiuvatur. in Scipione igitur Syriae proconsule tota res haesit. prae ceteris praeter Philippum et Marcellinum collegam competitoribus quibus quinquennium legitimum expletum erat, solius quidem Scipionis ratio est habita nec tamen scelus repulsi Philippi et Lentuli collegae illi Pompei genero a Caesare condonari potuit, neque crimen neglectae posthabita salute publica laesaeque in uno legis Pompeiae. cuiusmodi vero fraude quibusque fallaciis et praevaricationibus illa provinciarum sortitio corrupta sit iam nihil attinet post egregias Hofmanni curas de b. civ. pag. 153 s. disquirere. quid enim mirum si turbulentissimis illis diebus Pompeiani ex privato consilio effecerunt ut Syria Pompei genero sorte eveniret neve sors ad duos illos Caesaris amicos quibus res Syriacae notissimae erant deerraret? In appendice huius quaestionis redeamus ad Oehlerum qui sortes suas vetuit deici in reliquas praeter Syriam Galliamque provincias, solos praetores dimissos iussit neque expectare quod superioribus annis acciderat ut de eorum imperio ad populum ferretur paludatosque votis nuncupatis exire. is autem iandudum discere potuerat sortes in urnam deici solitas esse, cum praetoribus Scipionem et Lucium Domitium e Roma discessisse. itaque Caesar scripsit: „privato consilio praetereuntur neque eorum sortes deiciuntur. in reliquas provincias“ etqs.

Iam pervenimus ad alterum locum quem Nipperdeius suspectum habet. nam

is quaest. Caes. pag. 131 „In iis uerbis, inquit, quae proxima sunt apud Caesarem: „In reliquas prouincias praetores mittuntur“, Pighio pro praetoribus „praetorii“ ponendi uisi sunt. Etsi autem illa sic interpretari licet, ut missi dicantur, qui pro praetoribus essent, tamen id male fit, quia Caesari, qui priuatis prouincias decretas esse demonstrat, omnis eiusmodi ambiguitas uitanda erat. Huc accedit, quod supra iam declaratum erat reliquas prouincias praeter duas consulares praetorias fuisse, et quod haec uerba incommode praeponuntur insequentibus: „neque expectant, ut de eorum imperio ad populum feratur“ cett., quae de omnibus, qui prouincias sortiti erant, intellegenda esse apparet. His de causis illa uerba spuria esse existimaui.“ nec tamen quidquam ex his quae docuit comprobamus. et primum facilis sane et ad rem accommodata Pighii emendatio minus tamen probabilis vel dicam prorsus reicienda est si ad usitatam linguae rationem animum adverteris. ex innumeris enim inscriptionum et scriptorum testimoniis notum est viros praetorios provinciarum propraetores ipsos saepissime praetorum nomine usos esse. cf. Marquardt 3, 1 pag. 132, 859. Terpstra l. l. pag. 38. Hofmann de or. b. c. pag. 156, 37 ss. praetorio munere antea Romae functi erant, sed retinuerant passim in provinciis postea praetorum nomen. quam ob rem praesertim cum paullo antea in memoriam revocatum sit non ex praetura et consulatu sed privatos eos provincias sortitos esse ut nulla prorsus ambiguitas exoriri posset quo tandem modo praetorum vox intellegenda esset retinemus hoc loco apud Caesarem ut ipsi praetores in inscriptionibus retinuerunt praetorum nomen intactum. deinde recte Hofmannus l. l. pag. 149 s. „quod Nipperdeius censet, inquit, nisi deleantur ea verba, idem bis narrari, ne id quidem ad veritatem dixit. Aliud enim est decrevit senatus reliquas provincias praetoriis, aliud, misit in reliquas provincias praetorios. Illud vel quod idem est decrevit senatus reliquas provincias praetorias recte dici potuit, etiam cum lege Sempronia provinciae iis decernerentur qui sex mensibus postea eas adirent; nihil enim aliud significant illa verba quam statuit senatus quae provinciae proximo anno praetorio imperio obtinerentur. Contra ea mitti in provinciam nemo potuit nisi cui aut sorte obvenerat aut extra ordinem nominatim demandata erat. Quare cum cui provincia decreta erat eam non habere posset, qui in provinciam missus erat eam non habere non posset, novi aliquid in altera sententia inest; significat enim sortitionem esse factam et praetorios iussos statim in provincias exire.“ Haec quidem Hofmannus. at quod Marcus Porcius Cato quamquam contraria rettulit Plutarchus Pomp. 61 *οὗτος μὲν οὖν εὐθὺς ἐξῆλθεν εἰς Σικελίαν* non statim in Siciliam abiit, C. FANnius PONTifex PRaetor qui Asiam sorte acceperat (Mommseni inscr. Lat. antiq. pag. 143, 523) cum imperio in eius provinciam ante

diem quintum Kalendas Februarias praemissus est teste Cicerone ad Attic. 7, 15, 2 (cf. Hofmanni de or. b. c. pag. 157) in eo nihil discriminis inest quod certe iussus erat sicuti ceteri Cato statim proficisci in provinciam suam. denique recte Hofmannus l. l. pag. 149 „si verba, inquit, de quibus agimus incommode insequentibus praeponuntur, quippe quae ad omnes provincias, non ad praetorias solas pertineant, non minus incommode, si illa deessent, quae proxime antecedunt praeponerentur; periculum enim esset ne verba, quae ad omnes qui provincias sortiti erant pertinent, ad solos proconsules referremus.“ quae si recte disputata sunt id quod dubium esse nequit concedendum est in Kraneri ed. prior. pag. 64 ed. alt. pag. 67. 292 Terpstrae l. l. pag. 38 s. aliorumque sententiam hunc locum „in reliquas provincias praetores mittuntur“ non esse interpolatum. at Batavus doctissimus inmiscendis huic rei Paullo et Marcello consulibus uti supra demonstravimus erravit. is enim „Etsi jam supra dictum erat, inquit, duas provincias consulares, reliquas praetorias futuras, tamen incertum a Caesare erat relictum, utrum, quae Scipioni et Domitio obvenissent, praetoriae an consulares essent; unde ad omnem evitandam ambiguitatem rite adiungit: „in reliquas praetores mittuntur.“ Etenim non semper eaedem provinciae consulares erant; sed ante creatos magistratus constituebatur, quaenam consulares, quaenam praetoriae essent. Immo vero haec verba omittere Caesar non potuit, si ambiguus esse nollet; quum non tantum consules et consulares, sed etiam praetores legem curiatam non exspectavissent idque a scriptore indicari oporteret. Enallage vero, de quo Herzogius annotavit ad verba „Praetores mittuntur neque exspectant“ commode tollitur, si sic interpungamus: „sortes dejiciuntur, in reliquas provincias praetores mittuntur. Neque exspectant“ nempe consules, proconsules et propraetores.“ scilicet consules non prioris quidem sed huius anni 705, 49 postea demum Caesar rettulit ex urbe profectos esse. „praetores“ hoc loco solis Scipioni et L. Domitio opposuit, deinde illos cum his complexus est ubi exposuit de lege curiata non expectata.

Nunc progrediamur ad tertium narrationis Caesarianae locum quem Nipperdeius quaest. Caes. pag. 132 s. interpolatum esse censuit. paragrapho enim sexta verba „quod superioribus annis acciderat“ a magistro quodam profecta in textum irrepisse opinatus „quod Caesar, inquit, de imperio ad populum ferendum fuisse scribit, legem curiatam intellegi apertum est. Ea Liuius II, 52 rem militarem contineri dicit, Cicero de leg. agr. II, 12, 31 sine ea rem militarem attingere non licere, idem de rep. II, 13, 25 eam iam Numam regem de imperio suo tulisse. Incredibile est igitur Caesari hanc rem, quae antiquissimis reipublicae institutis contineretur, superioribus annis accidisse uisam esse.“ at quod accidendi vocem

de antiquissimis populi Romani institutis positam esse suspicatur magnopere fallitur vir de Caesaris operibus in pristinum nitorem restituendis optime meritus. tantum enim abest ut Caesar hac voce morem maiorum denotare voluerit ut consuetudinem novissimam hominum privatorum ex anno 52 in provincias exeuntium aptissime significaverit. is igitur mos qui ad imperium privatis redintegrandum per paucos annos ab omnibus proconsulibus et propraetoribus servatus erat quoniam non ex praetura et consulatu ut semper in provincias mittebantur hac accidendi voce a Caesare distinguitur. quam ob rem reiecta Nipperdei Mommsenique eum olim secuti (cf. Kraneri ed. prior. pag. 285) sententia Kranero assentimur qui saltem ed. alt. pag. 67. 292 haec verba uncinis quadratis non circumsaepsit quae velut additamenta incluserat ed. prior. pag. 64.

In eis quae paullo post eduntur quarto loco recte offenduntur viri docti insertis verbis „quod ante id tempus acciderat numquam“ quae ferri posse iam Vossius negavit. atque eum secutus Nipperdeius quaest. Caes. pag. 132 „Nam etsi aliquantum, inquit, ante hoc tempus consules per magistratum in urbe manere solebant, tamen nihil ne tum quidem impediebat, quo minus in ipso magistratu, quo usus esset, mitterentur. Itaque Cicero de hac ipsa consulum profectione ad Atticum VIII, 15, 3 scribit „ipsi consules, quibus more maiorum concessum est uel omnes adire prouincias“, et duobus annis ante Caelius ad Ciceronem Fam. VIII, 10, 2 consules omnino senatum habere nolle, quia timore Parthici belli oblato uererentur, ne senatus consultum fieret, ut paludati exirent. Recte igitur Vossius haec uerba delenda esse iudicauit. Nam quam deinde excogitauit rationem, ut hoc incisum ad sequentia traheretur „lictoresque habent in urbe et Capitolio priuati“, neque fieri id potest, nisi eo transferatur (quamobrem Petauio post „lictoresque“ inserendum uidebatur), neque ullo modo iis, quae ibi leguntur, „contra omnia uetustatis exempla“ illa uerba superaddi possunt. Non melius Dauisius haec ad superiora transferebat in hunc modum: „neque expectant, quod superioribus annis acciderat, ut de eorum imperio ad populum feratur, paludatique uotis nuncupatis exeant, quod ante id tempus acciderat numquam.“ Nam in hac oratione Caesar „numquam“ omisisset: et ridicule singulis enuntiatis illa quasi cauda agglutinatur. In omnibus autem codd. legitur „exeunt“: „exeant“ coniectura est Glandorpii, quam Vrsinus in suo codice inuenisse uideri uult. „Exeunt“ uerissimum est. In eo enim uersatur reprehensio, quod, cum imperium eorum a populo confirmatum non esset, tamen et insignia imperii gerebant et eodem modo, atque qui cum imperio exibant, uota nuncupabant. Praeterea in Par. sec. Leid. pr. pluribus deterioribus scriptum est „quod ante id tempus accidit numquam“

tempore magistri obseruatiunculae, non Caesaris narrationi accommodato.“ Haec quidem Nipperdeius. at ex hac disputatione pauca refellenda, ea quae de traiectionibus Vossi Petavi Davisi et coniectura Glandorpi proferuntur conprobanda sunt. primum autem recte quidem exponitur Caesarem non potuisse narrare numquam ante id tempus consules ex urbe profectus esse. nam Roma exierunt consules anno 680 Lucius Lucullus et Marcus Cotta in Asiam, item in Asiam anno 687 Manius Glabrio, anno 696 Lucius Piso et Aulus Gabinius in Macedoniam Syriamque, item anno 699 Crassus in Syriam aliique multi alio quos omnes Mommsenus vir amplissimus pro doctrina sua exquisitissima nominatim enumeravit Rechtsfrage pag. 30 ss. at quod cum Vossio Nipperdeius haec verba delenda esse iudicavit, ea re nihil fere assecutus est propterea quod illud alterum „contra omnia vetustatis exempla“ retineri iussit. nihilominus enim si haec verba post priora deleta retinerentur, negaretur ad vetustatis exempla convenire praeter lictores privatorum etiam consulum ex urbe profectionem quam tamen ante id tempus saepius factam esse probe nunc scimus sicut ante multa saecula satis scivit Caesar. facillima vero correctione huic loco desperato auxilium fertur collato Livio 21, 63, 9 „lixae modo sine insignibus sine lictoribus profectum clam furtim“ 5 „simulato itinere privatus clam in provinciam abiit“ 22, 1, 5. 6. 7. 41, 10 med. „non votis nuncupatis non paludatus sine lictoribus uno omnium certiore facto collega nocte profectus praeceps in provinciam abiit“ Beckero antiq. Rom. vol. 2, 2 pag. 60, 110. 64, 115. 108, 234. 379, 970. vol. 3, 1 pag. 286, 1963 Drumanno 3 pag. 426. exarandus autem est ita ut nihil nisi ratio profectionis clandestina denotetur quae a Caesare perstringatur: „consules quod ante id tempus accidit numquam, clam ex urbe proficiscuntur.“ Plutarch. Caes. 34 *οἱ μὲν οὖν ὕπατοι μηδ' ἃ νόμος ἐστὶ πρὸ ἐξόδου θύσαντες ἔφυγον.* Pomp. 61 *οἱ δ' ὕπατοι μηδὲ θύσαντες ἃ νομίζεται πρὸ πολέμων ἔφυγον.* probatur nostra emendatio quam ante hos quattuor annos publici fecimus iuris em. Caes. pag. 16 Hellero viro doctissimo Philolog. XIX, 3 pag. 515 s. ac re vera hac tandem nostra via intellegitur quid ea quae de lictoribus privatorum hominum secuntur sibi velint quoque nexu cum antecedentibus rebus coniuncta sint. in eo enim versatur Caesaris reprehensio quod a consulibus clam ex urbe profectis lictores iusti ac proprii comites imperatorum in urbe Romana atque arce Italiae ex qua lixarum modo sine insignibus summi illorum quorum imperium erat magistratus votis rite in Capitolio non nuncupatis discesserant inauspicatoque fugerant velut in usum hominum privatorum relicti sunt remanseruntque contra omnia vetustatis exempla. deinde Capitolium inter verba sequentia „lictoresque habent in urbe et Capitolio privati contra omnia

vetustatis exempla“ inventum quid sibi vellet nemo intellexit nondum quisquam explanare ausus est neque ipsi intellegere ullo modo potuimus cur id potissimum neglectis ceteris omnibus urbis Romanae locis hic commemoraretur quasi summa Iovis optimi maximi arx templumque sollemne vel privatorum vel lictorum receptaculum sedesque perpetua tum fuisset extraque urbem et Capitolium homini privato semper licuisset cum lictoribus esse. quid multa? arcem et caput Italiae urbem Romanam Caesar appellaverat scripseratque: „lictoresque habent in urbe et capite Italiae privati contra omnia vetustatis exempla.“ cf. Liv. 21, 35, 9 „arcem et caput Italiae.“ 22, 32, 5 „pro capite atque arce Italiae urbe Romana atque imperio.“ nihil simplicius, nihil expeditius hoc quinto seriei loco quisquam noverit. sed restant denique duae difficultates et dubitationes una a Nipperdeio mota altera a Mommseno proposita. atque ille vir doctissimus quod „accidit“ tempore perfecto offenditur videtur per minimum temporis momentum oblitus esse cum aliorum multorum locorum tum horum de b. c. 1, 2, 8 „ut quisque acerbissime crudelissimeque dixit“ 1, 3, 2 „quae sunt traditae a Caesare“ 1, 5, 3 „quo ... numquam ante descensum est“ 1, 5, 4 „quibus haberi senatus potuit, qua ex die consulatum iniit Lentulus“ 1, 36, 3 „quod inventum est“ 1, 36, 5 „a qua die materia caesa est“ 1, 38, 1 „quem a Pompeio missum in Hispaniam demonstratum est“ 1, 58, 4 „quae sunt captae“ 2, 15, 2 „quicquid est contignatum“ 2, 22, 5 „ut est imperatum.“ cf. Arn. Hug ann. phil. et paed. Teubn. 1860 vol. 81. fasc. 12. pag. 877 ss. nunc si placet Mommsenum audiamus. is enim Rechtsfrage pag. 30. ss. postquam de hac sententia paullo antea cum Kranero ed. prior. pag. 285 communicata ut scriberetur „Neque exspectant, ut de eorum imperio ad populum feratur, paludatique votis nuncupatis consules, quod ante id tempus accidit numquam, ex urbe proficiscuntur“ bene destitit, iam retentis ut in codicibus sunt extremis verbis „numquam, ex urbe proficiscuntur“ siqui magistratus Romani in aliquam provinciam ituri essent ne contra legem Corneliam facerent certe senatus consulto si minus populi iussu opus fuisse arbitratus „Bei den Verhandlungen, inquit, im römischen Senat im Januar 705, welche, durchaus beherrscht von den Elementen politischer Confusion, der Angst, dem Zorn und der Coalitionsmacherei, ein wahrhaft ideales rechtliches und staatliches Chaos darstellen, scheint die Erwirkung eines solchen Senatsbeschlusses vergessen worden zu sein. Darum hatte Cäsar, wenn auch die Form seiner Rüge den Parteistempel trägt, doch der Sache nach, und zumal in Erinnerung daran, dass er selbst als Consul, obwohl durch Volksbeschluss Statthalter von Gallien und vielleicht nach dem Wortlaute desselben von dem cornelischen Gesetz entbunden, doch sich

ihm gefügt und Rom während seines Consulats nicht verlassen hatte, guten Grund die Uebernahme des Commandos durch die fungirenden Consuln Lentulus und Marcellus als eine durch kein einziges Praecedens gerechtfertigte Verfassungsverletzung zu bezeichnen; wie sich denn auch gegen Antonius die gleiche Anklage wiederholt. Die Gegenpartei konnte sich dagegen auf nichts berufen als auf den alten Satz, dass die Verfassung keine gesetzliche Competenz des wirklichen höchsten Beamten kenne und der Consul, wenn er auch eine solche angewiesen erhalten oder übernommen habe, dadurch rechtlich nicht gehindert sei im ganzen Umfang des römischen Staates als höchster Beamter aufzutreten — ein Satz, der allerdings richtig war, aber sich nur auf die Abgrenzung der einzelnen militärischen Competenzen gegen einander, nicht auf das Uebergreifen aus der städtischen Competenz in die militärische oder umgekehrt bezog. Der Proconsul fungirte rechtlich als solcher, so weit das militärische Imperium reichte, und wenn er auch durch Senatsbeschluss auf Syrien oder Kilikien beschränkt war, hinderte ihn dies rechtlich nicht auch in der benachbarten Provinz als Statthalter aufzutreten; aber der Consul war gesetzlich verpflichtet, als solcher sich des militärischen Commandos zu enthalten und wenn er es dennoch nahm, verletzte er nicht die schuldige Rücksicht gegen den Senat, sondern die Verfassung. — In welcher Weise Sulla die Neuerung formulirt hat, ist nicht überliefert, wie er denn auch als Urheber der Massregel nirgends ausdrücklich genannt wird; wahrscheinlich ward den Beamten nicht gerade die Entfernung von Rom während ihres Amtsjahres untersagt, was für die Verwaltung sehr lästig gewesen sein würde, sondern dieselben nur gesetzlich angewiesen, den förmlichen Akt der Anlegung des Kriegskleides und des Auszuges während dieser Frist zu unterlassen.“ at erravit vir doctissimus de non paludatis uti documenta e Livio petita demonstrant Gai Flamini et Gai Claudi Pulchri quae quamquam annorum 537, 217 et 577, 177 sunt (cf. Mommsen inscr. Lat. antiq. pag. 524. s. 528. s.) tamen aequo pondere in Lentulum et Marcellum anni 705, 49 consules quadrant quod haud dubium est quin omnibus temporibus et ante legem Corneliam et post eam latam nefas a populo Romano habitum sit cum dis immortalibus bellum gerere. eis iustum imperium non erat quibus auspicia non erant quae votis rite in Capitolio nuncupatis paludati a domo secum ferebant nec sine auspiciis profecti in externo ea solo nova atque integra concipere poterant. tollitur vero omnis difficultas inserto „clam“ nostro. atque haec primum monenda sunt. deinde Caesar si legem Corneliam turpissime neglectam hoc loco indicari voluisset debuit haud dubie aliqua voce significare omnem consulum ex urbe discessum vetari lege Cornelia sive aperta palam profectio erat sive clandestina furtim fuga quod tamen quia in

ratione urbis relinquendae solum discrimen positum esse multa legitimae post legem Corneliam profectionis exempla pauca iniustae non paludatorum sine lictoribus profectorum superiora satis superque docent minime potuit. denique Mommseni sententia eo refellitur quod si quidem artificiis eius interpretationis mirificis indulgemus atque obsequimur nullam tamen ansam illa nobis praeberi videmus ut satis cognoscamus qui factum sit ut consules anni 705, 49 sine lictoribus profecti sint illi exeant hi in relicta privatis a summo magistratu urbe Romana remaneant. Quae cum ita sint totam illam difficillimorum locorum 1, 6, 5. 6. 7. seriem sic exarandam esse censemus: „De reliquis rebus senatus consulta perscribuntur. provinciae privatis decernuntur, duae consulares, reliquae praetoriae. Scipioni obvenit Syria, Lucio Domitio Gallia: Philippus et Marcellinus collega privato consilio praetereuntur neque eorum sortes deiciuntur. in reliquas provincias praetores mittuntur. Neque expectant quod superioribus annis acciderat ut de eorum imperio ad populum feratur paludatique votis nuncupatis exeunt. Consules quod ante id tempus accidit numquam, clam ex urbe proficiscuntur lictoresque habent in urbe et capite Italiae privati contra omnia vetustatis exempla.“